sent hypothecata, quo casu potiores fuissent partes Cosmi; Econverso autem potiores illæ Josephi, & Jo: Baptistæ, ex quorum parte desuper consultus,

Respondi quod pro mea notitia, punctus erat peregrinus, adhuc formiter non disputatus in his præcisis terminis; Quamvis enim ad materiam *text. in l. qui liberis §. hæc verba ff. de vulg. &c.* quæstio sit inter Scribentes, an sub nomine hæredis, veniat solùm primus, ac immediatus, vel etiam secundus, seu mediatus, & quando procedat vulgare axioma, quod hæres hæredis, testatoris est hæres &c. adhibendo distinctionem inter vocationem legis & vocationem hominis ex plenè collectis per Fusar. *q.* 343. *n.* 21. & 344. *n.* 9. Masull. ad Capyc. *decis.* 191. *n.* 1. Gratian. *discept.* 743. *n.* 15. *cum plur. seq. apud quos cæteri, & sub tit. de hærede.*

Attamen isti percutiunt termi nos generales super effectibus consecutivè resultantibus à qualitate hæreditaria, potius ex dispositione juris, sive juxtà ejus intentionem, non
3 autem in exorbitantibus, & odiosis, in quibus, ob strictam ac rigorosam significationem de jure capiendam, regulariter veriùs videtur, ut sub nomine hæredis, non veniat nisi primus, ex generaliter firmatis apud Fusar. *ubi supra*; Atque ego ponderabam ea quæ ad materiam *text. in l. antiquitas C. de usufr.* habentur *in Tudertina Castrorum sub tit. de*
4 *feud. disc.* 62. quod si usufructus relinquatur etiam hæredi, cum id sit contra naturam usufructus, qui importat servitutem personalem, atque de jure terminari debet cum personam primi usufructuarii, hinc proindè nè detur multiplicatio exorbitantiarum, intelligi debet de primo, non autem de ulteriori hærede; Ità pariter cum onus restitutionis importet servitutem regulariter odiosam, si legatario injunctum est post ejus mortem legatum restituere hæredi, ut
5 intelligendum sit de primo, non autem de secundo habetur *per* Rot. *apud* Mantic. *dec.* 19.

Atque in ea quæstione, an mala fides defuncti influat etiam in hæredem, ubi etiam admittenda sit tanquam magis communis, & recepta opinio affirmativa in primo hæ-
6 rede non tamen in secundo, ac mediato ex iis, quæ habentur infra *in* Bituntina *disc.* 131. quoniam esset multiplicare fictiones, quod in jure prohibitum est, ut generaliter in his terminis hæredis *ex* Riminald. & aliis, relatis de dicta propositione non multiplicandi fictiones, habetur *apud* Masull. ad Capyc. *dicta dec.* 191. *& dicto tit. de hærede.*

Idemque habemus ad materiam *text. in l. fœminæ C. de*
2. *nupt. cum concordan.* quod conjugi binubo gravato refer-
7 vare filiis primi patrimonii id, quod obvenit de substantia primi conjugis ex successione filiorum, id intelligatur de immediata; non autem de mediata juxta magis communem, & à Rota receptam opinionem, de qua *apud* Martin. Andream *decis.* 74. Dunozett. *decis.* 641. *num.* 5. & in sua materia *sub. tit. de success.*

Prout etiam habemus in materia renunciationis, quæ stricta, & exorbitans in jure reputatur, ideoque strictè in-
8 telligenda, quod renuncians bonis, vel successioni paternæ, excluditur à successione immediata, non autem à mediata, succedendo fratri etiam in bonis, quæ in istum à patre obvenerunt, quoniam dicuntur effecta fraterna in sua materiam *sub tit de Renunciat. cum similibus.*

Applicando autem ad rem, certum est de jure, quod
9 bona hæredis non veniunt sub hypotheca contracta per defunctum; nisi expresè dicatur ex collectis *per* Merlin. *de pign. lib.* 2. *quæst.* 15 *num.* 1. *& seqq.* Capyc. Latr. *decis.* 24. *num.* 6. *& seq. ex professo* Rot. *decis.* 343. *par.* 12. *rec.* & habetur *dictis duobus disc. præced.* Et consequenter ista hypotheca, quæ resultat ab obligatione camerali, cum naturaliter, ac de facto, vere non proveniat ab explicita voluntate defuncti, sed potius per fictionem, vel præsumptionem, quasi quod se obligando in forma cameræ facere voluerit totum id, quod in ejus formula continetur, (quamvis inspecta naturali veritate, contrahentes nullam penitus dictæ formulæ notitiam habeant,) hinc proindè esset multiplicare, tam fictiones, seu præsumptiones, quam exorbitantias, dum ita est fingere dictam obligationem, seù hypothecam à jure exorbitantem, ac etiam inducere, quod sub nomine hæredis veniat etiam ipsius hæredis hæres, qui licèt ad plures effectus pro hærede quoque habeatur, ex dicta propositione, quod hæres hæredis, testatoris est hæres, attamen certum est, quod id provenit ex legis fictione, quodque fictè, ac improprè, non autem naturaliter, ac verè est hæres primi, ut advertunt Cephal. & Riminald. relati *per* Masull. ad Capyc. *dicta dec.* 191.

Ponderando item, quod ubi hujusmodi fictionum pluralitatem admittere velimus, eadem erit ratio in secundo, ac tertio, & quarto, vel ulteriori hærede, ideoque esset dare processum in infinitum contra juris principia, ut etiam *d. tit. hærede* advertitur.

Quamvis enim, non suffragante inventarii beneficio, secundus, vel ulterior hæres, ad debita, aliaque onera primi defuncti teneatur, ex relat. *per* Grat. *dicta discept.* 734. *num.* 18. Attamen id provenit, quia debitum defuncti 10
effectum est debitum proprium primi hæredis, cujus hæres ex eadem ratione tenetur ad omnia debita proprii auctoris ex quasi contractu resultante ab actione, & tanquam repræsentas ejus personam in universo ejus jure activo, &
3 passivo, non autem exindè sequitur, quod ficta, seù præsumpta voluntas primi defuncti, deducta ex dicta formula obligationis cameralis, trahi debeat ad bona secundi, vel ulterioris hæredis, cum hic, ut dictum est, potius efficiatur debitor tanquam repræsentans personam sui auctoris immediati, licèt de consequenti resultet, quod repræsentet etiam illam auctoris mediati, sed potius fictè, ac improprè, quam propriè, ac verè; Et ex his mihi probabilius videbatur, quod pro non comprehensione potius respondendum veniret.

Ponderando in idem sæpius deduci solitum axioma, de quo *apud* Barbos. *axiom.* 198. Mantic. *decis.* 251. *num.* 4. *&*
passim, ut habenti pro se regulam juris, sufficiat illam allegare, ut ejus intentio fundata dicatur, donec ille, qui di- 11
cit contrarium probet; Et consequenter cum regula sit, ut bona hæredis non veniant sub hypotheca contracta per defunctum, ac etiam adsit altera regula, ut in dispositione hominis præsertim circa odiosa, & exorbitantia, sub nomine hæredis non veniat nisi primus, hinc proindè onus est dicentis, quod veniat etiam secundus, id probare, quodque nisi per alteram partem doceretur de specialibus decisionibus, vel auctoritatibus id firmantibus, fundata remaneret hujus partis intentio in dictis regulis; Incertus autem est controversiæ exitus.

ANCONITANA PECUNIARIA, seù CONCURSUS PRO MONASTERIO MONIALIUM S. BARTHOLOMÆI CUM UNIVERSITATE CREDITORUM RATIONIS BANCHARIÆ MANZONI.

Casus decisus per Rotam pro Monasterio.

An in bonis depositarii, vel administratoris Ecclesiæ, vel Loci pii, competat hypotheca legalis; Et de differentia inter administratorem voluntarium, & necessarium.

SUMMARIUM.

1 *De materia dotis Monialium.*
2 *Facti series.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Pro deposito non competit hypotheca.*
5 *Creditores defuncti in istius bonis vincunt creditores hæredis.*
6 *Hypotheca legalis administratoris competit contra quemcumque legalem administratorem.*
7 *In specie contra œconomum, vel administratorem Ecclesiæ.*
8 *De differentia inter administratorem voluntarium, & necessarium.*
9 *Quod in hac specie esset administratio legalis.*
10 *An contra dolosum administratorem voluntarium competat hypotheca legalis.*
11 *Quando doctrinis in punctualibus deferendum non sit.*

DISC. XXXIX.

CUm ex decretis generalibus S. Congregationis insinua- 1
tis *sub tit. de Dote disc.* 167. ad materiam dotis Monialium, non admittantur puellæ ad habitum monasticum pro novitiatu peragendo, nisi de facta deposito dotis in pecunia numerata penes totam sacram ædam, vel penes idoneum campsorem, ab Episcopo deputandum, sive in subsidium, in arca sub pluribus clavibus in eodem Monasterio retinenda, ut loco citato advertitur; Atque in hujusmodi decrerorum exequutionem, Episcopus Anconitanus, pro hujusmodi depositis istius Monasterii, deputasset bancum, seù rationem bancariam Manzoni senioris, com- 2
muni judicio nimium idonei reputati (qualis in effectu semper fuit;) Casus autem præbuisset, ut efformata nova ratione per Manzonum juniorem & Invitum, in quam debita, & credita prioris rationis transfusa fuerunt, ista defecisset, ac propterea formatus esset concursus; Hinc alii qui creditores expressam conventionalem hypothecam habentes, quamvis posteriores, prætendebant excludere Monasterium creditorem ex causa hujusmodi depositorum, utpote in sola personali, aliique pariter solam personalem habentes, in eo quod superesset, prætendebant venire per æqualem concursum, seu contributum; Introductaque causa *in Rotam coram Carpinea*, favore Monasterii, ut
3 censendus esset creditor hypothecarius, prodierunt resolutiones *sub diebus* 3. *Junii* 1665. & 19. *Januarii* 1666. quibus creditores acquieverunt, neque causa ulteriorem progressum habuit.

Duo autem fuerunt hujusmodi resolutionum fundamenta, quæ mihi pro Monasterio scribenti (reflectendo etiam ad solam veritatem,) solida, & probabilia videbantur; Primò scilicèt, quod ubi etiam Monasterium jure privati, ac non privilegiati creditoris censendum esset, unde propterea haberet solam actionem personalem, careret autem hypotheca legali, quam ego admittebam regulariter non competere pro deposito, super quo adhibita distinctione
4 regularis, & irregularis, intrat solum inspectio privilegii inter plures creditores chirographarios, ex deductis supra *disc.* 25. Attamen ex beneficio separationis bonorum in bonis Manzoni senioris spectantibus ad primam rationem bancariam, vincere deberet concurrentes, qui erant creditores dictæ alterius rationis novæ; Atque super hoc nulla fuit quæstio juris, cum Scribentes pro creditoribus non controverterent certam, ac absolutam conclusionem,
5 ut in bonis indifferentibus, creditores defuncti ex beneficio separationis bonorum, vincant creditores hæredis in ipsius defuncti bonis, sed ex facti circumstantiis prætendebatur, quod bona defuncti affecta quoque essent pro debitis istius novæ rationis, quod tamen, benè firmatum fuit in facto non subsistere, ex deductis in utraque hujus causæ decisione.

Alterum erat fundamentum consistens in solo puncto juris, supra hypotheca legali, quam ego, promotor motivi dicebam huic Monasterio competere debere, eodem modo, quo de jure competit pupillis, ac minoribus, vel
6 etiam fisco, seù Reipublicæ adversus tutores, & curatores, aliosque legales administratores, ex eadem ratione, de qua supra *disc.* 36. quod scilicèt omnes, qui sub necessaria legali administratione vivunt, hoc legali præsidio, ex rationis identitate, juvari debent juxta magistralem theoricam Bart. *in l. remplubicam, C. de jur. Reip. lib.* 10. *nu.* 2 ut in specie Ecclesiæ, vel Hospitalis, Merlin. *de pign. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 2. *num.* 18. *& seq. & qu.* 12. *num.* 13. *&* 33. *& Acost. de privil. cred. reg.* 3. *ampliat.* 23. *nu.* 63. *& seq. & ampliat.* 1. *num.* 23. ubi infert ad administratores, vel curatores furiosi, prodigi, surdi, muti, & similium, cum aliis *per* Amat. *resol.* 57. *n.* 2.

Et in specie œconomi, seù administratoris Ecclesiæ,
7 vel mensæ Episcopalis, benè concivis meus Robert. Marant. auctor speculi, seù praxis, *cons.* 87. ubi more tandi Doctoris distinguit inter administratores voluntarios, deputatos pro majori commoditate, ab eis, qui possunt per seipsos bona propria administrare, ac necessarios, seu
8 legales eorum, qui ex naturæ, seu legis impedimento, administrare non possunt per seipsos, sed coguntur pernecesse vivere sub aliena administratione, ut primo casu regula, quod admittenda non est hypothecæ competentia, nisi in casibus in jure expressis; Ex ea clara ratione, quod sibi imputet ille, qui cum posset per seipsum ejus bona administrare, id agere voluerit per procuratorem, seù alium negotiorum gestorum, quodque ita agendo, non benè sibi consuluerit de hypotheca conventionali, quam absque legis auxilio, ex propria providentia, rectè obtinere poterat; Secus autem in altero casu, cum tunc justum, ac rationabile sit, ut lex subveniat ex deductis *dicto disc.* 36.

Certum autem erat, quod ista erat administratio necessaria, non solùm ex eo, quod ageretur de Monasteria monialium, quæ non possunt per seipsos propria negotia tra-
9 ctare, sed pernecesse sub œconomorum & procuratorum administratione vivere coguntur, undè propterea dicta conclusio generaliter, ac indefinitè locum habere debet; Sed fortius in hac facti specie, quod neque eidem Monasterio imputari potest, cur deputando œconomos, vel procuratores, quorum deputatio ab ipso Monasterio pendeat, de conventionali hypotheca non consuluerit, quoniam agebatur de actu necessario in executionem dictorum decretorum S. Congregationis; Et consequenter quod iste depositarius reputandus veniret tanquam officialis, ac administrator, potius publicus, quàm privatus, ideoque duplex necessitas, duplexque ratio pro ista hypotheca legali concurrebat.

Deducebam ulteriùs more Advocati, eadem quæ insinuantur *supra disc.* 36. de hypotheca legali competente etiam in bonis privati, ac voluntarii procuratoris, vel negotiorum gestoris, qui in dolo versetur, occupando bona 10
administrata ex auctoritate Neguf. *de pignor. membr.* 4. 2. *par. num.* 164. *vers. Vigesimus secundus*, Mant. *de tacit. lib.* 11. *tit.* 14. *numer.* 5. *in fin.* Merlin. *de pignor. lib.* 2. *tit.* 3. *qu.* 90. & Gratian. *discept.* 935. *n.* 24.

Verum omnino neglectum fuit motivum, & meritò, cum mihi quoque minus fundatum videretur; Expendendo siquidem dictas auctoritates, Mantic. & Merlin: sunt simplices relatores Neguf. qui hoc asserit auctoritate Bar. *in l. fin. C. in quibus caus. pign. tacit. contrah.* id non dicens, undè constat has auctoritates nulli fundamento innixas esse; Gratian. autem pariter de more simplex relator seù collector, procedit cum suspecta auctoritate venali Peregrini consulentis, qui curat id arguere à fure, in quo neque in jure fundatum videtur; Sed quidquid sit eo casu, non tamen admittenda videtur extensio; Ideoque rectè intrant deducta per Cyriac. *contr.* 50. *nu.* 3. *& seqq.* ut do-
ctrinis punctualibus deferri debeat, quatenus benè funda- 11
tæ sint, non autem si ex doctrinis, vel rationibus, quas adducunt, constet eas probabili juridico fundamento innixas non esse; Insulsum enim est dicere, quod procuratori, vel negotiorum gestori pecunias administratas in ejus usus convertendo, & non restituendo, haberi debeat tanquam fur, quoniam aliàs nulla differentia esset inter privatos voluntarios administratores, ac publicos & legales, ac etiam quia ubi depositum non est regulare, neque administrata pecunia retinetur tanquam species, sed ad formam depositi irregularis, confunditur cum reliquo patrimonio, nisi prohibet ejus usum, cum obligatione generis.

ANNOT. AD DISC. XXXIX.

DE hujusmodi hypotheca legali adversus administratores habetur quoque actum *sub tit. de Tutor. & Curator. disc.* 10. ubi notatum est; Decisiones autem in præsenti discursu enunciatæ sunt impressæ *dec.* 315. & 429. *p.* 14. *rec.*

SENEN. PRO HORATIO AZZONE SEU HÆREDIBUS ARISTIDIS.

Responsum pro veritate.

An hypotheca seù actio hypothecaria extinguatur, eo ipso, quod creditor succedit debitori, etiam in præjudicium tertii jus habentis super eo credito hypothecario anteriori; Vel potius resultet simplex confusio actionum ratione incompatibilitatis, quæ præjudicet ipsi adeunti, non autem tertio; Et incidenter, an debitor possit repudiare, vel nolle quærere in præjudicium creditorum id, quod defertur à statuto, præsertim dotem materiam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Creditor potest exercere omnia jura ejus debitori competentia, & cum illis se tueri.*
3 *De Statuto Senensi circa dotes mulierum, & nu.* 17.
4 *Confusio actionum per aditionem hæreditatis non præjudicat creditoribus defuncti.*
5 *Hypothecæ super nominibus debitorum resolvuntur per solutionem, quam debitor faciat ejus creditori, cum benè solvit.*
6 *Declaratur, ut procedat in vera solutione, idemque de solvente procuratori, vel administratori.*
7 *An debitor, cui supervenit treditum, possit cum seipso compensare in præjudicium creditoris anterioris.*
8 *De iis, quæ conceduntur actibus veris, denegantur tamen actibus fictis.*
9 *De valida extinctione census fideicommissarii cum hærede gravato; & quando.*
10 *Procuratori, vel alteri administratori benè solvitur verè sed non fictè.*
11 *Eo ipso, quod debitor succedit creditori, vel è contrà, confunduntur actiones.*

12 *Filius nullum jus habet in bonis patris viventis, etiam pro legitima.*
13 *Debitor potest nolle quærere, atque ita præjudicare creditoribus.*
14 *Declaratur conclusio, de qua n. 12. sed vide nu. 18.*
15 *Item declaratur conclusio, de qua nu. 13. ut non procedat in contractibus.*
16 *An procedat eadem conclusio in legitima.*
17 *De eodem Statuto Senensi circa jus filiorum in dote, de quo num. 3.*
18 *Quod aliud sit successionem esse necessariam, aliud vero ut requeratur agnitio.*
19 *De differentia inter legitimam, & jus necessariæ successionis in dote, vel fideicommisso.*
20 *Declaratur conclusio, de qua num. 15. circa jus ex contractu.*
21 *Donatio an sit contractus, & quando.*
22 *De eodem, vel consimili Statuto, de quo num. 3. & 17. & quod mulier vivens sit domina dotis.*
23 *Si mulier alienat, vel obligat una cum filio vocato ad dotem, quid operetur iste consensus.*
24 *De eodem, de quo nu. 22. ut mulier sit domina, & dantur similia.*
25 *De eodem statuto, & quod mulier sit usufructuaria.*
26 *Quoad ipsum hæredem nil refert, an confusio actionum sequatur uno, vel altero modo.*
27 *Creditore succedente debitori, an confusio tollat actionem hypothecariam affirmative.*
28 *Quid in casu converso debitoris succedentis creditori, & quod secus.*
29 *De rationibus differentiæ, & quod hæredè succedente revocabiliter non fiat confusio.*
30 *De alia ratione differentiæ super præsumpta, seù imaginaria solutione.*
31 *Ita imaginaria solutio inducta est favore ipsius hæredis, si ei expediat.*
32 *De restitutione in integrum adversùs aditam hæreditatem sine inventario.*
33 *In dubio præsumitur potiùs debitum proprium quam alienum.*
34 *Resolutio causæ.*

DISC. XL.

1 DEfuncto Jo: Dominico debitore dotium, Annæ uxoris, & Honoratæ nurus adhuc viventium, Joannes ex Marco Antonio filio prædefuncto nepos, ejus hæreditatem simpliciter adivit, deindeque effectus quoque est hæres Annæ aviæ, & Honoratæ matris; Cumque dictus Jo: Dominicus de anno 1629. Mallio genero aliqua bona insolutum dedisset, cum obligationibus prædictorum Jo: nepotis, Annæ uxoris; & Honoratæ nurus; Heredes autem Aristidis fidejussoris ejusdem Jo: Dominici in quodam censu ante dictum annum. 1629. impositi, ad dicta bona, pro eorum indemnitate agerent contra Horatium Mallii hæredem, ac possessorem, iste verò exciperet ex persona prædictorum, Annæ Honoratæ, & Joannis, pro evictione obligatorum de creditis anterioribus utriusque dotis usque ab annis 1581. & 1603. respectivè, Replicabant actores, quod cum dicta credita consolidata fuissent in Joanne hærede Jo: Dominici debitoris, illa ratione confusionis actionum extincta fuissent, ideòque non deberent ipsis creditoribus posterioribus præjudicare. Quare ex parte dicti Horatii rei conventi consultus.

Pro ejus bono jure probabilius respondendum esse censui, ex vero, ac recepto principio, quod creditor dicitur procurator sui debitoris, ideòque, præsertim excipiendo, ac
2 pignoris tuendi causa deducere potest jura, & credita anteriora ejus debitori competentia ad repellendum creditores posteriores *ad text. in l. si pignori ff. famil. erciscund. cum concord. apud* Franc. *decis.* 345. *n.* 2. Rovit. *dec.* 29. *n.* 4. Capyc. Latr. *consult.* 16. *n.* 14. Rot. *decis.* 30. *n.* 10. *post* Merlin. *de pignor. & frequenter*; Et in specie usus jurium dotalium, quando mulier non præstitit simplicem consensum importantem solùm remissionem hypothecæ, sed expresè se obligavit pro evictione bonorum à viro distractorum, habetur actum *sub. tit. de dote in* Tyburtina Salviani *disc.* 85. atque sepissimè in centum, ac centum similibus casibus practicavi.

Quatenus verò pertinet ad dictum motivum prætensæ extinctionis deductæ ab actionum confusione, & super quo totus erat quæstionis punctus, (cum ea cessante, supra insinuata conclusio tanquam indubitata admitteretur.) Attenta
3 dispositione Statuti Senensis reservantis mulieri quartam partem dotis ad liberam ejus dispositionem, reliquas verò tres partes deferentis filiis, vel ulterioribus liberis superstitibus; Dixi, ut quoad dictam quartam partem, planum esset bonum jus rei, dictumque motivum non obstaret, quoniam in hac parte, cum reus esset creditor Annæ & Honoratæ defunctarum, confusio actionum, quæ resultat ab aditione hæreditatis, operativa non est respectu creditorum defuncti, quibus competit beneficium separationis bonorum, ob quod eorum jus remanet salvum et iam ad- 4
versùs alienationes, & hypothecas, cum non possit factum hæredis posteà adeuntis, sive casus, quod hæreditas creditoris deferatur ei, qui est debitor, præjudicare tertio, cui illud nomen debitoris effectum est.

Et quamvis in motivis desuper transmissis procederetur 5
cum generalitate *tex. in l. nomen debitoris, C. que res pign. obl. poss.* ut scilicèt debitor, à lege, vel ab homine non inhibitus, rectè solvat proprio creditori adhuc integro, suamque bonorum administrationem habenti, atque solutio extinguat debitum, resolvatque hypothecas super hoc nomine debitoris ipsius creditoris creditoribus quæsitas, ad communiter notata *in dicta l. nomen debiteris*, de quibus Surd. *cons.* 43. *n.* 1. & 2. *Conciol. alleg.* 17. & *alleg.* 51. *n* 9. Salgad. *in labyr. par.* 2. *c.* 28. *n.* 11. *cum seq. & par.* 3. *c.* 1. *n.* 129. & *seq.* Rot. *apud* Cavaler. *decis.* 345. *n.* 1. & 2. & *decis.* 357. *n.* 29. & *seq. part.* 9. *rec. add. ad.* Buratt. *decis.* 793. & *passim*.

Replicabam tamen id procedere, ubi agatur de vera, & effectiva solutione bona fide facta, cum tunc sufficiat solutum esse, proprio, ac directo creditori, cui cessant legis, 6
vel hominis inhibitione, rectè solvi potest, non obstante consequutivo præjudicio resultante creditoribus ipsius creditoris, de quo solvens sollicitus esse non tenetur, quoties decoctio, vel ejus imminentia ob legis inhibitionem, ac fraudem ab eadem lege presumptam id non impediat; Secus tamen, ubi agatur de solutione ficta & intellectuali resultante à compensatione, vel confusione, quoniam quemadmodum creditor, vel prælatus, aut procurator, & quilibet alius similis potest recipere veram solutionem, sed in præjudicium ejus creditorum, vel principalis non potest remittere debitum, seù alias acceptilare, vel facere nudam confessionem de recepto, ita pariter non potest compensare, seù alium actum fictum facere *ad not. in l. debitorem meum, & l. cui rectè ff. de novation. l. quod stipulatus, ff. de solut. cum concordan. dec.* 374. *par.* 5. *rec.* Buratt. & *add. decis.* 54. & habetur *alibi hoc. cod. tit.*

Idque evidenter constat ex iis, quæ pluries habentur infra *hoc eodem titulo* super quæstione de qua *apud* Franch. *de-* 7
cis. 53. Capyc. Latr. & *add. dec.* 25. *cum aliis ibi deductis*, & latè *per* Gjurb. *obser.* 106. an debitor possit cum seipso compensare proprium debitum cum credito posteriori sibi supervento, in præjudicium creditorum anteriorum, quibus ejus nomen jam hypothecatum erat, quoniam una opinio tenent simpliciter negativam juxtà *d. decis.* 53. Franc. & sequacium; Altera verò juxtà *dictam decis.* 25. Capyc. Latr. & sequacium, quamvis teneat affirmativam, attamen eam recipit cum moderatione bonæ fidei, secùs autem ista cessante, ideoque multò minùs in præjudicium creditorum defuncti, iste actus fictus, qui ratione incompatibilitatis ex hæreditatis aditione resultat, operari potest, quamvis aditio simpliciter fieret, cum id præjudicet ipsi adeunti, non autem tertio.

Multaque in jure concedunt actui vero, quæ denegantur ficto, ut præsertim habetur ad materiam *Authent. res* 8
quæ, C. communia de legatis, quod per veram, & effectivam solutionem dotis factam gravato descendenti à fideicommittente, præjudicatur fideicommisso super istius subsidiaria obligatione resultante à dispositione *d. Auth.* & tamen simplex confessio, vel acceptilatio, vel alia ficta solutio hunc effectum non producit, ut pluries in sua materia *sub tit. de dote* præsertim *dlsc.* 145.

Ità pariter si debitor fideicommissariæ hæreditatis, ex causa census, vel alia, debitum verè, ac effectivè solvat, seù censum extinguat cum hærede gravato, vel possessore 9
fideicommissi, benè solvit, ac liberatur *ut infrà*, & in sua materia *sub tit. de cens.* nisi lex in contractu adjecta, aliter disponat ex ibi deductis, & tamen solutio ficta hunc effectum operari non potest.

Ut etiam habemus in procuratore, ad exigendum, vel alio negotiorum gestore, sivè tutore aut administratore, &c. quod eis benè solvitur, atque debitor liberationem consequitur, & tamen non potest novare, seù acceptilare, vel confiteri &c. *ex deductis d. dec.* 374. *p.* 5. *rec.* Bur. & *add. decis.* 54. *cum aliis*, de quibus habetur suprà; Undè propterèa quod istas quotas, casus pro meo judicio videbatur omninò planus.

Diffi-

Difficultas autem residebat in tribus aliis partibus à Statuto delatis dicto Joanni filio, ac nepoti respectivè, quoniam cum de tempore, quo ipse per mortem matris, ac aviæ, creditor effectus est jam esset earumdem dotium debitor tanquam hæres simpliciter dicti Jo: Dominici avi ac debitoris, consequenter dicebant motivantes, quod istud creditum nunquam stetit, neque cecidit sub hypothecacjus creditorum, dum in ipso instanti, quo creditum debitori
11 defertur, ob incompatibilem concursum actionis, & passionis in eodem subjecto, inducitur confusio actionum, redolens quamdam instantaneam, seù imaginariam solutionem, adeout verificari non possit acquisitio, ac permanentia istius nominis debitoris in ejus patrimonio, undè propterè cadat sub hypothecis, quibus ejus bona, & jura affecta sunt, ad regulam generalem *tex. in l. neque pignus, ff. de reg. jur. l. Stichum, §. aditio, ff. de solut. l. Uranius, & l. frater à fratre, ff. de coud. indeb. l. si debitori, C. de pact. cum concordan.* de quibus antiquioribus relatis Apont. *cons.* 8. *lib.* 1. & *cons.* 143. *num.* 1. & 2. *lib.* 2. Merlin. *de pign. lib.* 5. *quæst.* 15. *numer.* 1. Conciol. *dicta alleg.* 17. Giovagn. *cons.* 73. *lib.* 1. Rot. *decis.* 183. *nu.* 10. *post.* Cenc. *de cons. & in aliis*.

Quatenus igitur pertinet ad hanc difficultatem; Pro ea evitanda duas constituebam inspectiones, quarum quælibet in proposito sufficiebat; Primò scilicèt circa tempus, in quo hæc jura dotium matris, & aviæ dicto Joanni obvenissent, an scilicèt ab instanti nativitatis, vel disolutionis matrimonii, & sic antequam sequeretur aditio hæreditatis ejus avi, per quam ipse effectus est hujusmodi dotium etiam debitor (cum esset hæres simpliciter absque inventarii beneficio,) vel potiùs obvenisset per mortem dictarum matris & aviæ, quando jam erat effectus debitor; Si enim verificaretur prima pars obventionis ante qualitatem hæreditariam, tunc intraret eadem, quæ habentur supra de quarta parte ipsarum mulierum, & consequenter, quod actionum confusio, quæ ab aditione resultat, apta non esset tollere jus quæsitum creditoribus ut supra.

Et secundò, posito, quod verificaretur altera pars, ut scilicèt dicto Joanni creditum super venisset de tempore mortis matris, vel aviæ respectivè, & si postquam ob dictam hæreditariam qualitatem jam effectus erat debitor, an ista confusio esset solùm apta impedire actiones personales, (ut ex hac parte prætendebatur,) vel potiùs non remaneret in simplicibus terminis hujus confusionis, sed redoleret etiam speciem solutionis extinctivæ cujuscumque actionis, etiam hypothecariæ, (ut erat prætensio Actorum, atque inclinabant judices in motivis, juxtà stylum desuper editis,) atque in hoc secundo puncto verè & propriè tota quæstio circumferebatur.

Quatenus igitur pertinet ad primam; In eisdem motivis, ad probandum quod attendendum esset tempus mortis matris, & aviæ, procedebatur cum regula, seù con-
12 clusione generali, de qua aliis relatis Becc. *cons.* 34. *nu.* 17. *lib.* 1. plenè Altograd. *cons.* 40. *n.* 14. & *seq. & cons.* 41. *n.* 62. & *seq. lib.* 2. Rota *apud* Mantic. *decis.* 289. *n.* 1. & *dec.* 355. *n.* 10. & *per tot. par.* 6. *rec. & in aliis frequenter*, ut filius in bonis parentis adhuc viventis nullum jus quæsitum habere dicatur, etiam ratione legitimæ, quoniam dari potest casus talis depauperationis parentis ante obitum, ut nihil pro legitima remaneat, neque jus filiorum, ob speratam legitimam, aptum est impedire parenti in vita liberam suorum bonorum administrationem, nisi in casu fraudulentæ dissipationis, ob quam implorari potest judicis officium pro congrua provisione.

Atque in idem ponderabatur altera conclusio deducta *text. in l. qui autem, ff. quæ in fraud. cred.* ut scilicèt debitor, cui successiones, ac legata & fideicommissa, aliaque
13 successionis jura delata sunt, possit nolle quærere in præjudicium creditorum, quibus proindè nullum jus, vel actio ad ea bona competit, quoniam ut ea cadant sub eorum hypotheca, opus est, ut prius efficiantur de dominio, ac patrimonio debitoris, quod ante agnitionem non resultat, cum successionis, vel alterius juris delatio, remaneat in terminis simplicis facultatis, qua ad exercitium non delata, nullum jus quæri dicitur, ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur super ista conclusio *apud* Franch. *decis.* 101. Capych. Latr. & *add. dec.* 8. & 34. Prat *obs.* 15. & 16. Castil. *lib.* 5. *contr. cap.* 112. Salgad. *in labyr. par.* 2. *c.* 14. & *pluries infrà*.

Super hoc autem puncto, discurrendo dicebam, quod præmissa rectè procedunt in iis, quæ ob veniant ex intesta-
14 ta successione, sive ex alia voluntaria dispositione verè de futuro, non trahente causam de præterito, quæ prexisteret de tempore contractæ obligationis, quasi quod tunc utraque conclusio procedat, secùs autem, ubi est jus necessarium, ac non successorium, neque hæreditarium, sed jure proprio, cum istud jus veniat sub hypotheca, Ideoq; non remissibile, Adinstar eorum, quæ ad materiam *tex. in d. l. qui autem* habemus in juribus competentibus ex contractu, 15
ut remitti non possint in præjudicium creditorum, juxtà doctrinam Bart. *in l.* 1. §. *non quærimus, ff. si quis omiss. caus. testam.* Peregr. *de jur. fisci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 40. *cum aliis per* Capyc. Latr. *decis.* 34. *nu.* 12. & 13. Rot. *in Romana Palatii* 3. *Decembris* 1646. *coram Cerro*.

Atque in terminis legitimæ, quæ à lege perneceße delata est, & non pendet à voluntaria dispositione testantis, vel moriendo ab intestato se conformantis cum testamento legis, ut illa remitti, seù repudiari non possit in præjudicium creditorum, cæteris relatis firmant Peregr. *de fideic. art.* 3. *nu.* 128. & *seq. & cons.* 71. *nu.* 3. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 27. *per tot.* Fab. de Anna *cons.* 76. *num.* 3. & 5. Fontan. *de pact. claus.* 16
4. *glos.* 9. *par.* 5. *nu.* 122. qui hanc dicit veriorem Merlin. *de legit. lib.* 3. *tit.* 2. *quæst.* 29. *ex nu.* 10. *ad fin.* atque in istam opinionem, quamvis nihil decidendo, sed relatis Doctoribus huic indè, inclinare videtur Rota *in Anconitana bonorum* 22. *Februari* 1647. *coram Bichio*, de quo habetur actum particulariter infra *disc.* 137. & *seq.*

Quod autem hoc jus, competens filiis in dote materna ex Statuto Senensi dicatur delatum ab intio, etiam vivente matre, quodque sit jus necessarium redolens speciem legiti- 17
mæ, imò aliquid magis, adeout mulier non possit de his tribus ex quatuor partibus inter filios inæqualiter disponere etiam pro constituenda dote filiabus, quodque usufructuariæ potiùs assimiletur, in specie firmatur *apud* Paul. de Castr. *cons.* 441. *lib.* 1. Soccin. *cons.* 48. *in princ. cons.* 84. *in fine*, & *cons* 93. *nu.* 20. *lib.* 1. Mart. Med. *decis.* 48. *num* 7. *cum seq.* qui omnes loquntur de hoc statuto; Et conferunt ea quæ in terminis consimilium statutorum, vel consuetudinum deferentium dotem filiis, in toto, vel in parte habentur *sub tit. de Dote dis.* 103. *cum seq. ubi concordantes*.

Ista responsio, ità simpliciter sumpta, mihi parum tuta videbatur, quoniam aliud est, ut jus futuræ successionis radicatum sit in causa de præterito, aliudque sit necessarium, adeout ille, cui succeditur, non possit successionis ordinem pervertere; Aliud verò ut bona, quæ ex hujusmodi succes- 18
sione deferuntur, efficiantur de dominio ejus; qui successurus est, quoniam potest non succedere ob præmorientiam naturalem vel civilem, seù etiam, quatenus superfit, potest nolle agnoscere, dum (quidquid Scribentes variaverint) magis communis, & recepta opinio est, præsertim in Rota, & Curia, ut etiam in successione fideicommissaria procedat dicta regula *tex. in l. qui autem*, ut firmatur *in* Firmana *fideicommissi de Formonis* 9. *Junii* 1634. *coram Panzirolo*, quę in hac materia circumfertur tanquam magistralis sæpius in aliis canonizata, atque in terminis majoratuum hanc esse veriorem firmatur *apud* Salgad. *in labyr. par.* 2. *c.* 14. & habentur pluries infra præsertim *d. disc.* 137. & *seq.* Et tamen potentius est hoc jus, quàm illud legitimæ, sive necessariæ successionis in dote, in qua DD. considerant solùm quoddam legitimæ augumentum ex deductis *dicto disc.* 103. & *seq. de Dote*; Et in specie hujus Statuti patet ex deductis *apud* Mart. Medic. *ubi supra*.

Remanere siquidem pro filiis legitimam, pendet à mero casu, admixto etiam cum voluntate parentis, qui potest ita decedere bonis denudatis, ut nihil pro legitima filiorum re- 19
maneat; & consequenter est jus merè de futuro, quod etiam quandoque in dote, seu lucris procedit ob facultatem disponendi inter vivos, ut *dicto disc.* 103. & *seqq. de Dote*; Secus autem in successione fideicommissaria, quæ, excepta eventualitate caducationis ob præmorientiam, habet jus radicatum in causa de præterito omninò extitura, cum gravatus non possit bona alienare in vita, adeout inane reddere non valeat jus successorium, ut in legitima contigit.

Ea vero, quæ habemus in contractibus, rectè procedunt in illis actibus correspectivis, in quibus ab intio, seu alias ex intervallo adsit conjunctio consensum utriusq; contrahentis, cum tunc dicatur quæsitum dominium vel 20
jus; quod postea in præjudicium creditorum non potest non acquiri, quoniam in effectu esset potius transferre, vel remittere jus quæsitum, quam abstinere ab acquirendo, & in his terminis rectè procedit hæc conclusio, quæ malè intelligi solet in omnibus actibus inter vivos, puta in donatione facta absenti, quamvis cum juramento, vel Notarii stipulatione, vel ex privilegio infantiæ, seù aliàs perfecta, & irrevocabili, quoniam potest donatarius nolle acceptare, & sine quo actu, dominium in eum non

transfertur, cum Aliud sit actum ita perfici, ut pœnitentiam excludat ex parte facientis, cujus respectu dicatur perfectus, ac irrevocabilis, Aliud verò ad effectum acquisitionis dominii, pro quo necessaria est acceptatio, ut advertitur in sua materia *sub. tit. de Donat. plures*.

Ideoq; non improbabiliter Faber & alli redarguunt pragmaticos explicantes donationem sub genere contractuum,
21 cum potius impropriè, ac per modum abusivum loquendi, ità dicatur, pro explicando actum inter vivos, discretivè ab illis per ultimam voluntatem, sed ut dictum est, improprié, cum verè, & propriè contractus dicatur ille, qui perficitur ex conjunctione utriusque consensus contrahentium; Solumque in donationibus iste terminus congruere videtur impropriis, & onerosis, quæ, licet in verbis, donationem redoleant, factis autem important magis contractum correspectivum juxta pluries deducta *dicto tit. de Donat.*

Adhùc tamen (etiam in sensu veritatis) credebam hæc jura dotalia affecta esse huic parti per dictam obligationem, tàm mulierum, quàm dicti Jo: filii in dotibus successuri, adeout ea, quæ supra habentur de quarta parte remansa ad liberam dispositionem mulierum, in reliquis tribus, omninò pariformiter procederent; Siquidem hujusmodi dotium dominium, vel jus stare non potest in aere, ac sine
22 dominio, sed pernecesse dicendum est, ut de tempore hujusmodi contractæ obligationis, illud existeret, Vel penes ipsas mulieres respectivè, Vel penes dictum Jo: filium, ac nepotem, ex jure statutario vocatum; Quomodocumque autem diceretur, semper erit, ut de tempore obligationis, jus jam quæsitum esset penes unum, vel alterum debitorem, quodque propterea per futurum actum voluntarium creditori præjudicari non poterit, quoniam ideo per veram ac effectivam solutionem ei præjudicatur juxta terminos *text. in dicta l. nemen debitoris*, quia ille dicitur actus necessarius, quem creditor, neque volens potest evitare à suo debitore volente se à debito eximere cum solutione.

Et consequenter, Aut dominium istarum dotium erat penes ipsas mulieres, & tunc rectè in eis creditori jus perfe-
23 ctè quæsitum fuit stante consensu & obligatione dicti Joannis ad earumdem dotium necessariam successionem vocati, tanquam per speciem illius alienationis, quam hæres fideicommisso gravatus faciat cum consensu substituti; Istique videntur veri, ac proprii termini, quod mulier donec vivit est vera domina, cum dominio tamen aliqualiter refrenato, juxta eventualitatem, ut scilicèt quatenus filii supersint, pernecesse illis relinquere teneatur, sed hoc interim verum dominium non tollit juxta alias necessarie suc-
24 cessionis species, quas habemus in terminis *text. in Auth. hæres C. de 2. nupt. cum concord.* de quibus *sub. tit. de Dot. disc.* 140. super proprietate lucrorum conjugalium filiis reservanda; Sivè juxtà alios terminos *text. in l. fœminæ C. de 2. nupt. cum concord.* de quibus *sub tit. de success.* super reservatione, quam parens binubus facere tenetur ad favorem filiorum primi matrimonii; Et fortiùs in eo dominio, quod ex veriori, magisque recepta sententia habere dicitur hæres fideicommisso gravatus, vel alter successivi fideicommissi possessor, ut pluries in sua materia *sub tit. de fideic. præsertim disc.* 55. *& in aliis, & sub tit. de feud. ad mater.* Bullæ Baronum *disc.* 89. *& in aliis*.

Et nihilominus, ubi (licèt minus probabiliter,) attento sensu verbali Castr. *dicto cons.* 441. *lib.* 1. *num.* 2. & 6. in terminis hujus Statuti, mulier dicenda esset in his tri-
25 bus partibus simplex usufructaria, ita pernecesse oportet dare in filiis ab instanti eorum nativitatis proprietatem, & consequenter, semper idem resultat effectus, ut de tempore talis obligationis hujusmodi dotium jus quæsitum, ac de præsenti radicatum esset in uno, vel altero ex obligatis, quodque propterea alter contrahens istius juris in genere fidem sequutus fuerit, atque sub ejus clypeo contraxerit, aliàs non contracturus; Cum enim tunc tale jus pernecesse existeret penes unum ex obligatis, Alter verò haberet, vel jus necessariæ successionis tanquam per speciem fideicommissi, vel jus usufructus, hinc meritò contrahens voluit habere utrumque obligatum, unum scilicet tanquam dominum, & alterum tanquam præstantem consensum pro ejus jure.

Hinc proindè nulla subesse videbatur necessitas assumendi alteram inspectionem, an scilicèt illa actionum confusio, quæ resultare dicitur per aditionem hæreditatis tatione incompatibilitatis, dicatur facere operationem simplicis confusionis in actione personali tantum, non autem in hypothecaria, vel potius habeat vim solutionis, adeout hypothecariam quoque extinguat, dum ex præmissis, ob jus tertio jam quæsitum, cessabat necessitas istam quæstionem assumendi.

Verùm ubi de illa agendum esset advertebam ad id, quod adeo frequenter, aliarum quæstionum occasione, advertitur, ut ad tollenda æquivoca, adeo de facili contingibilia, ob confusionem doctrinarum diversos terminos perqu-
tientium, procedi debeat cum distinctione casuum sive es-
fectuum; Aut enim agitur quoad præjudicium ipsusmet 26
creditoris adeuntis hæreditatem debitoris, vel è converso,
debitoris adeuntis hæreditem creditoris, ac aliorum ab eo
ex post causam habentium, & tunc inanis est questio,
cum idem resultet effectus, ideoque nil referat actiones sivè personales sivè hypothecarias, uno vel altero modo confundi, ut in specie advertunt Nevizan. *cons.* 69. *in fine vers. Præterea* Franch. *dec.* 80. *nu.* 7. *in princ.* Rot. *dec.* 4. *nu.* 35. *par.* 5. *rec.*

Aut verò agitur de præjudicio tertii, cui de tempore, quo actus aditionis resultat, aliquod jus quæsitum sit, unde propterea ratione juris tertii inspicere referat, an confusio, uno, vel altero modo sequatur, & tunc distinguendus est casus, in quo creditor hypothecarius proprio debi-
tori succedat, ab altero è converso, in quo debitor succe- 27
dat creditori; In primo siquidem casu creditoris succeden-
tis debitori, intrat celebre *cons.* 198. Castr. *lib.* 1. super quæstione, an confusio remaneat in simplicibus terminis confusionis tollentis solùm actionem personalem, vel potiùs habeat vim solutionis tollentis hypothecariam, & de isto casu agunt Apont. *cons.* 8. *lib* 1. Franch. *decis.* 80. Sess. *decis.* 45. Merlin. *de pign. lib.* 5. *quæst.* 14. Marcian. jun. *disp.* 95. *ex n.* 1. *ad.* 9. Conciol. *allog.* 17. ubi de isto casu, atque videtur intrare posse terminos fictæ solutionis dictum majorem effectum operantis; (Quod tamen formiter examinare non oportuit, dum non versabamur in casu;) Ac etiam quia, tàm per Scribentes in contrarium, quam etiam per motivantes supponebatur, (& in hac parte benè) quod verseremur in secundo casu debitoris succedentis creditori, quod scilicèt Jo: ob hæreditariam qualitatem, jam effectus debitor matris, & aviæ pro restitutione earum dotium, ita postmodum eis successerit.

De isto autem secundo casu præciso debitoris succedentis creditori, individualiter agitur *apud* Afflict. *decis.* 237. quod 28
scilicèt filius fuerit patris hæres sine inventario patris debitoris dotis, deindè verò effectus fuerit hæres matris creditricis, atque in proposito concursus creditorum agit Apont. *dicto cons.* 143. *ubi ex num.* 6. *ad finem*, sequendo distinctionem Napodan. *in Consuet. siquis, vel si qua num.* 236. *canonizatam apud* Afflict *dicta dec.* 237. & Capyc. *dec.* 195. & concluditur intrare solùm confusionem operativam quoad actiones personales, non autem fictam solutionem, operativam etiam quoad hypothecarias; Idemque prius dixerat *idem* Apont. *d. cons.* 8. *n.* 9. ubi agit de casu converso, atque cum his pertransit Merlin. *de pign. dicta quæst.* 14. *num.* 14. & revera hic est sensus Negus. si benè ponderetur *d. ping. primo mebr.* 5. *par. num.* 54. *in quinto casu*, ubi præsertim in fine adducit distinctionem, quod Aliud est considerare confusionem, Aliud verò præsumptam solutionem, ut prima non tollat hypothecam sicuti secunda.

Hanc autem veritatem convinci dicebam, non solum per dictas auctoritates, absque contradicentibus, qui tunc in contrarium deducerentur, sed quod clarius convinceret 29
etiam viva ratio non habens responsionem; quod scilicèt nunquam admittenda est ea solutio, quæ apta si operari hunc effectum hypothecæ extinctivum, quoties hæreditas, ejusque bona sunt penes hæredem revocabiliter; Idque sivè revocabilitas sequi possit jure dominii, ac restitutionis jure fideicommissi, sivè jure hypothecæ juxta veriorem, ac receptam opinionem quam (rejecta opinione Alex. & sequacium) sequitur *idem* Negus. *num.* 55. ac sequuntur Afflict. Apont. & alii *ubi supra*, quoniam ipsa hæreditas est jus universale stans de per se, quod propter jus creditorum, vel interesse habentium in ea, remanet in suo esse penes hæredem suspensivè, seù revocabiliter, tanquam sub ea administratione, de qua supra *discurs.* 36. Et consequenter dari non potest illa omnimoda confusio, quæ habeat vim, seù effectum solutionis omnium extinctivæ.

Alia item differentiæ ratio inter primum, & secundum casum desumi videtur *ex* Negus. *dicto* 1. *membr.* 5 *par. n.* 54. 30
vers. in hac tamen materia, quod scilicèt, ubi creditor succedit debitori, tunc fingitur, quod hæreditas debitoris, antequam adeatur, solverit ipsi creditori, sivè (ut alii dicunt,) quod

quod ipse creditor antequam adeat, manu sua sibi ipsi, de bonis hæreditariis solvat id, quod consequi debet, unde per solutionem extinguatur debitum, & sic in hæreditate remanere dicatur illud minus, ut advertitur per Rot. *decis.* 198. *nu.* 6. *par.* 7 *rec.* Ista verò ratio non cadit in casu converso, quod scilicet debitor obtinens hæreditatem creditoris, huic solvat de proprio, quoniam non adest creditor, cui solutum præsumatur, ideoque meritò DD. hanc rationem in casu converso non considerant.

Concordare item videntur magis communiter Scribentes ex Bart. *in l. si is pro emptore ff. de usucap. & in l. Uranius ff. de fidejuss. cum concord. apud eumdem*. Negus. *d. nu.* 54. Merlin. *d. quæst* 14. *nu.* 63. *& seq.* quod ubicunque dicta imaginaria solutio damnosa est ipsi hæredi adeunti, tunc ea non est præsumenda, cum sit præsumptio pendens ab animo ip-
31 sius, regulanda ab ejus utilitate, utpotè præsumptio indicta ejus favore, ut etiam firmatur per Rot. *d. dec.* 198. *nu.* 8. & 9. *par.* 7. *recent.*

Expediebat autem dicto Joanni hæredi, ut ista ficta, seu imaginaria solutio non sequeretur, Tum quia sibi magis expediebat prius liberari à debito antiquiori, & jurato, ac vallato quarintigia, aliisque pactis executivis, adimentibus multa beneficia competentia pro simplici debito, non jurato, neque executivo; Tum etiam quia licèt adiens simpliciter, ac sine inventario alicujus hæreditatem, utpotè pri-
32 vatus beneficio inducto per jus novissimum *in l. fin. C. de jur. del. b.* teneatur creditoribus, ac legatariis insolidum, attamen adhuc poterit esse sibi consultum adversus damnum ex hujusmodi inconsiderata aditione resultans, ex beneficio restitutionis in integrum ex clausula generali, *si qua mihi &c.* ut plenè & magistraliter firmatur per Rotam *dec.* 82. *part.* 9. *rec. ubi concord. & in sua materia sub tit. de hæred.*, ideoque sibi expediebat, ut sibi ipsi hoc debitum non esset solutum, ac propterea cessat illa imaginaria solutio à lege in dicto alio primo casu præsumpta; Atque cessante solutione, adeout res reducatur ad solos terminos confusionis, tunc planum est, actiones hypothecarias non esse sublatas, sed remanere in suo esse.

Alia etiam accedente conclusione, quod in dubio præsu-
33 mitur potius debitum proprium, quàm alienum dissolvi, ideoque cum debitum de tempore aditionis hæreditatis aviæ, & matris esset alienum, hoc est hæreditarium avi, censendum non est, quod ita dissolvere voluerit, ac remanere obnoxium debito proprio jurato, & graviori erga istum emptorem.

His tamen non obstantibus, Rota Senen. in qua causa
34 pendebat, contrarium judicavit, quodque reus his juribus dotalibus utpotè extinctis tueri non posset; ediraque decisione, mihi visum est non adesse probabilia fundamenta, quæ intellectum captivarent, dum potius continere videbantur quasdam subtilitates, scholis, & academiis congruas; Talis est ingeniorum diversitas, quam quotidiè experimur, ob quam, non amplius pro veritate, sed pro judicio proprio responderi potest; Pendet tamen revisio, de hac materia imaginariæ solutionis plenè *sub tit. de hærede disc.* 28.

ANNOT. AD DISC. XL. & XLI.

De materia confusionis actionum videri poterunt deducta *sub tit. de Hæred. disc.* 22. & 28. *& sub tit. de Legitima, & Detract. dis.* 31. *& in hoc eodem tit. disc.* 164.

A U X I M A N A
PRO MARIA MAGDALENA, ET ALIIS DE ROMANIS
CUM PAULO BERNARDO, ET ALEXANDRO LUCULO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Maria Magdalena.

De eadem materia confusionis actionum per aditionem hæreditatis: ac etiam de administratione bonorum debitoris facta per creditorem, ex quibus creditor posterior excludat anteriorem.

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 *De confusione actionum, ubi debitor succedit creditori, vel è contra.*
3 *Cohæres non opponit cohæredi eumdem defectum omissi inventarii.*
4 *Confusio actionum, de qua nu.* 2. *resultat pro sola virili.*
5 *Quid referat, an ille, qui adit hæreditatem sui debitoris, esset aliorum debitor ante aditionem, vel talis postea efficatur.*
6 *Frater major administrans bona fratris, tenetur reddere rationes.*
7 *Administrator non dicitur debitor, vel creditor ante reditas rationes.*
8 *Administrator præsumitur sibi satisfecisse ex bonis administratis.*
9 *Præsumpta satisfactio in Creditore adeunte hæreditatem debitoris, quando magis intret.*
10 *An, & quando contra administrantem rem communem cum minore competat juramentum in litem.*
11 *Qualis dolus consideretur in adeunte hæreditatem sine beneficio l. & inventarii.*

D I S C. XLI.

EX Philippo superstites fuerunt, Jo: Baptista natu ma- 1
jor ex prima, Joseph, ac Hyeronimus minores ex secunda uxore; Atque Hieronymo ingresso Religionem, minori ætate adhuc durante, Joseph uxorem duxit, ex qua susceptis, Maria Magdalena, & aliis filiabus, obiit minori ætate quoque durante; Deindè verò ad aliquot annos obiit quoque Jo: Baptista, qui ab initio communem hereditatem paternam, aliaque bona administraverat; Quare Paulus, & Alexander ejus creditores, judicium instituerunt contra dictas filias, earumque matrem ad bona obvenientia à præfato Philippo, jure crediti anterioris dotium maternarum dicti Jo: Baptistæ, cujus ratione vincere pætendebant etiam utrumque creditum dotale, tam secundæ uxoris dicti Philippi, quam uxoris Josephi, & sic matris, & aviæ puellarum rearum conventarum procedendo cum conclusione de jure vera, quam ego scribens in contrarium non impugnabam *discurs. præceden.* & in aliis pluries insinuata, ut creditor dicatur procurator sui debitoris, ideoque ejus vice, ac nomine exercere valeat omnia jura illi competentia.

Cum autem causæ Patronus, antequam, juxta stylum, assumeretur Advocatus, insisteret in motivo confusionis actionum per aditionem hæreditatis Philippi patris, & debitoris juxta primum casum distinctum *disc præced.* credi- 2
toris scilicèt succedentis debitori, unde non solum resultat simplex confusio actionum, sed etiam præsumpta, seu imaginaria solutio extinctiva etiam actionis hypothecariæ ex ibi allegatis.

Respondebant Scribentes pro actoribus (& benè) cum duabus conclusionibus de jure veris; Primò scilicèt, quod defectus inventarii obiicitur per creditores, & legatarios, 3
ac fideicommissarios particulares, non autem per cohæredem qui pariter inventarium non confecit, ex mutua delictorum compensatione, sivè quod nemo opponit alteri defectum, quo ipsemet laborat, ut in specie cæteris relatis *apud* Cacheran. *dec.* 147. *nu.* 7. Bartii *de suc. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 9. *nu.* 9. & 10. Rota *in Romana hæreditatis de Cavaleriis* 22. *Maii* 1630. *coram Coccino Fulginaten. fideicommissi.* 4. *Junii* 1658. Bourlemont. *& in sua materia sub tit. de hæred.*

Et secundo, quod confusio actionum, quæ resultat in creditore adeunte hæreditatem debitoris, absque inventa-
rii beneficio ubi non est unicus hæres, sed alios habet co- 4
hæredes, procedit in sola virili, qua dempta, non prohibetur à cohæredibus petere debitum pro eorum virili, cum in aliis partibus habeatur pro non hærede ad text. *in l. pro hæreditatis C. de hæreditar. action. cum concord. per* Rot. *dec.* 23 & 296. *p.* 7. *rec. dec.* 66. *p.* 8. latè *dec.* 413. *p.* 9. *& possim.*

Assumptus igitur ad rearum conventarum defensionem, atque agnoscendo dictarum conclusionum veritatem, illas admittebam; Adhuc tamen (etiam in sensu veritatis) credebam dictos creditores juste reppellendos esse, potioresque fore partes rearum conventarum excipiendum de duplici credito dotali matris, & aviæ, ac etiam de juribus eorum
patris; Illud in primis statuendo, quod cum actores non 5
essent creditores Jo: Baptistæ creditoris dotis maternæ, de tempore, quo sequuta fuit aditio hæreditatis patris debitoris, non cadebat quæstio, de qua *dis. præced.* an scilicèt ista confusio redoleat speciem veræ solutionis extinguentis debitorum, etiam in præjudicium creditoris hypothecarii ipsius adeuntis, quoniam erant credita postmodum superventa, quo casu certa conclusio est, ut omnes exceptiones, quæ obstant ipsi creditori, obstant etiam ejus creditoribus isto casu venientibus ex jure, & persona eorum debitoris non autem jure proprio, ut venire dicuntur, quando erant

do erant jam creditores cum hypotheca antequam aditio sequeretur, quoniam sive per fictam solutionem, sive per simplicem confusionem resultantem ab aditione hæreditatis, semper firmum remanet, quod sub hypothecis contractis post aditionem tunc non præexistens creditum cadere non poterat, atque istum casum percutiunt deducta *per Conciol. alleg.* 17. super qua in alio casu, de quo *disc. præc.* per Judices (meo tamen judicio malè) magnum constitutum fuit fundamentum, quoniam ibi agebatur de emptore volente se tueri cum juribus dotalibus matris venditoris qui de tempore venditionis jam effectus erat hæres patris debitoris, atque consumata erat confusio actionum juxta præsentem casum omnino diverium ab altero, de quo *disc. præced.* ideoque reflectendum est ad distinctionem casuum, ex quorum confusione tot æquivoca resultant.

Hoc autem posito, ut scilicet actores non haberent majus jus, quam eorum debitor si viveret, & ageret pro istius; crediti præcipua detractione, plura obstant id impedientia Primò scilicet quod, cum ipse frater major administrasset bona fratri minori communia, cujus jura reæ conventæ duplici titulo, creditoris, & hæredis repræsentabant, 6 hinc obstabat redditio rationum, ad quam ipse tenebatur, ex iis, quæ in specialibus terminis fratris majoris administrantis bona fratris minoris aliis plenè collectis habentur apud Michalor. *de fratr. par.* 3. *cap.* 4. *nu.* 1. & 2.

Atque hoc posito, de consequenti resultare dicebam alteram veram, nimiumque frequentem conclusionem, de qua pluries *sub tit. de Tutor. & Administrator. post tit. de alien.* 7 *& contrait.* ut administrator non possit dici debitor, vel creditor nisi prius redditis rationibus suæ administrationis.

Secundò in idem, ob alteram pariter veram, ac frequentem conclusionem, quod tutor, vel alter administra- 8 tor, qui esset creditori pupilli, vel ejus, cujus bona administrantur, præsumitur, ut sibi ipsi satisfecerit de deductis *dec.* 336. *n.* 3. *par.* 6. *rec. dec.* 152. *n.* 7. & 8. *par.* 9. & pluries *in d. sua materia sub tit. de tutor. & admin.*

Unde propterea benè intrare dicebam ea, quæ *dis. præced.* habentur de præsumpta, seu imaginaria solutione, quæ confideratur in creditore adeunte hereditatem debitoris, quoniam in præsenti dicebam hanc præsumptionem intrare, non solum ex simplici juris fictione in abstracto, sed 9 etiam ex probabili præsumptione in concreto, quod scilicet ipse frater major, qui non confecto inventario, neque libro administraverat paternam hæreditatem fratribus minoribus communem, invenerit in eadem hæreditate pecuniam numeratam gemmas, argentum, aurum, merces, & alia mobilia, ex quibus sibi ipsi de proprio credito satisfecerit, unde propterea est præsumptio, quæ non resultat à sola fictione, vel subtilitate legis, sed etiam à facto verisimili.

Adeoque contra majorem administrantem rem commu- 10 nem cum minori, rigorosè procedunt, ut Plot *de in lit. jur.* §. 13. *nu.* 5. relatis Michalor. *dicto cap.* 44. *n.* 4. credat locum esse juramento in litem ratione doli præsumpti ob omissionem inventarii, & libri; Et quamvis istud assumptum per me impugnetur *d. tit. de tut. & admin. præsertim in* Bonon. *dis.*... Attamen in eo casu agebatur de pupillo, vel minore habente tutorem, vel curatorem, atque in eo, contra quem, prætendebatur dictum juramentum intrare, concurrebat alter titulus particularis administrationis continuantis eodem modo, quo in vita patris ipsius pupilli, ideoq; ita continuando, de culpa redargui non poterat; Secus autem in præsenti, dum administratio erat generalis, atque per eum, qui de jure erat habituaiter fratris minoris curator, ut ita distinguendo in dicta sua materia advertitur; Et nihilominus ubi etiam rigor juramenti in litem non intraret, adhuc tamen vere congrueret eadem ratio, ut facilius dicta præsumptio admittenda esset.

Atque hinc resultare quoque dicebam exceptionem doli, seu obligationis ad quanti interest minori viventi sub administratione fratris majoris, hæreditatem paternam aditam non esse juxta communem usum cum beneficio inventarii, 11 cum ita rectè intraret ille dolus, qui in hærede hoc beneficium negligente per quemdam improprium loquendi modum confideratur supra *disc.* 36. Ideoq; non jure illius confusionis, quæ ratione incompatibilitatis resultat indefinitè ab aditione hæreditatis debitoris, sed ex dictis aliis particularibus circumstantiis, dicebam quod actores venientes ex persona culposi administratoris, & cohæredis repellendi essent; Atque judicatum fuit.

MACERATEN.
PRO CREDITORIBUS OCTAVII COSTÆ.

Discursus pro veritate, ac directione.

An creditores hæredis gravati, vel possessoris fideicommissi, actionem habeant ad bona fideicommissaria etiam post cessatum, vel ressolutum jus eorum debitoris, ac factum casum restitutionis, si idem debitor obtinuerit à Principe facultatem alienandi aliqua bona cum derogatione fideicommissi, quoties talis facultas ad exercitium deducta non sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Facultas alienandi bona fideicommisso supposita non tribuit jus creditoribus ejus, cui concessa est.*
3 *An Bulla Baronum tribuat aliquod jus creditoribus.*
4 *Quando ille, cui concessa est dicta facultas, dicatur illa uti.*
5 *Quando consensus alicujus requiritur pro forma in exequutione gratiæ non sufficit ille, qui præcedenter datus est.*
6 *An ex promissione de obtinendo dictam facultatem oriatur aliqua actio.*
7 *De promissione de faciendo quid operatur.*
8 *Et quæ actio vel effectus resultet ex alienatione earum rerum, quæ sine alterius assensu non sunt in commercio.*
9 *Quando judicium pro veritate efformari possit, necnè.*

DISC. XLII.

POssidentibus pro communi, pro una parte Philippo, Benedicto, & Antonio fratribus, pro altera Laurentio, & pro altera Octavio de Costa patruis, antiquum fideicommissum ordinatum à Manente etiam de Costa, omnes concorditer, ut aliqua eorum respectivè debita dissolverent, in transactione inter eos super quibusdam controversiis inita, convenerunt obtinere à Papa facultatem alienandi quædam loca montium fideicommissaria, ut quadam parte pretii reficta, juxta stylum pro multiplico fideicommissi reintegratorio, reliquum in dicti æris alieni dissolutionem erogaretur, ut de facto obtenta fuit; Sed prius quam exequutori præsentaretur, obiit Laurentius, paulò verò post obiit quoque Octavius absque prole masculina, unde propterea dictæ portiones in vim reciprocæ consolidatæ fuerunt cum tertia portione prædictorum Philippi, Benedicti, & Francisci; Octavius autem antequam decederet, curavit dictam gratiam per ejus procuratorem præsentari coram Episcopo Maceraten. exequutore in litteris deputato; Ac etiam in codicillis, indicavit debita, quæ cum pretio dictorum locorum montium in prædictæ gratiæ exequutionem extingui deberent; Cumque dicti fratres superstites, in quibus totum fideicommissum consolidatum erat, immutato rerum statu, dicta gratia uti nollent, eo modo quo obtenta erat, pro extinguendis scilicet debitis prædictorum Laurentii, & Octavii, dum eorum jus per mortem jam resolutum fuerat, unde propterea fuisset exequi gratiam in tempore inhabili; Hinc ex parte creditorum dicti Octavii consultus fui, an eis competeret jus agendi pro ejusdem gratiæ executione, qua mediante, satisfactionem ex bonis distrahendis obtinere posent. 1

Respondi, regulam eis resistere, quod scilicet hujusmodi licentiæ, seu facultates, jus non tribuant creditoribus, nisi postquam demandatæ fuerint exequutioni, qua mediante sequatur extractio, seu dismembratio bonorum à fideicommisso, istiusque obstaculo remoto, bona efficiantur libera, atque de dominio debitoris, unde propterea incidant in eorum hypothecas, cum possit idem, qui facultatem obtinuit, nolle illa uti, juxta terminos text. *in l. autem ff. quæ in fraud. cred.* de quibus habetur *disc. præced.* & pluries in aliis infra. 2

Et in his specialibus terminis facultatis obtentæ à Principe, alienandi, vel obligandi bona fideicommissi, vel majoratus cum istius derogatione, ex Molina, Mierez, & aliis latè probat Salgad. *in labyr. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 65. & *num.* 88. & *seq.* & *num.* 107. ubi in specie confideratur casus, ut ille, qui facultatem obtinuit, morte præventus illam ad exercitium deducere non potuerit.

Ad quod ponderabam etiam ea, quæ pluries habentur *sub tit. de feud. ad mater. Bullæ Baron.* super ejusdem Bullæ ope-

læ operatione circa remotionem obstaculi fideicommissorum, ad hoc ut jus quæratur creditoribus, ut scilicet juxta 3 opinionem, quæ mihi probabilior videtur, quamvis habitualiter adsit difficultas generalis, ex eadem Bulla resultans, actualiter tamen non operetur, nisi Congregatio manus apponat, atque vincula solvat ex ibi pluries deductis.

Difficultas hæc rectè procedebat, quoad portionem Laurentii defuncti absque alia anima declaratione, dum poterat nolle uti, ut supra; Secus autem respectu Octavii, cum in isto dicta ratio cesseret, quoniam, tam per exibi- 4 tionem gratiæ ejus nomine factam der procuratorem coram executore, quam per dictam declarationem factam in codicillis, benè declaravit animum utendi gratia, atque efficiendi bona libera, ut creditoribus satisfieret; Idq; pro meo judicio rectè procederet, ubi gratia aliam non contineret conditionem, quia nempè ad ipsius Octavii tantùm instantiam concessa, assensum non desideraret; Verùm obstare nimium videbatur conditio adjecta super consensu per omnes vocatos, ac interessatos præstando, cum clausula *dummodo* conditionem redolente; Quamvis enim supplicatio omnium nomine porrecta esset, atque ex concordia supra enunciata, al isque adminiculis, presertim contributione in expensis, dici posset, quod omnium consensus jam accederet, Attamen dum Papa, non obstante 5 quod supplicatio omnium nomine porrecta esset, adhuc dictum consensum ab omnibus præstandum desideravit pro forma, signum est, quod voluit novam formalem, ac deliberatam præstationem dicti consensus coram executore, quoniam multa ita in extrajudiciali dicuntur aulico more, quæ ubi devenitur ad formalitatem actus, denegatur, ex iis quæ in proposito præstationis consensus, conditionaliter, ac pro forma desiderari, ut non suppleatur per consensum præstitum à procuratore in vim mandati dati ad obtinendam gratiam habentur *in Vercellen. sub titul. de beneficiis disc.* 48.

Unicum autem fundamentum, quod creditoribus assiste- 6 re posse, mihi videbatur, erat illud resultans à prædicta concordia, per quam expressè conventum fuit, ut debeernt omnes procurare dictam gratiam ejusque effectuationem, pro dicto fine assequendo; Id enim non causabat solutionem vinculorum, ac libertatem bonorum, adeout caderent sub creditorum hypothecis, eisque affecta remanerent, undè propterea jus reale, vel rei persequutorium eis competere posset, sed benè causabat obligationem ad cogendum promittentes actione personali ad adimplendum promissa, sint minus ad quanti interest, juxtà ea, quæ habemus in promissione de donando, vel de vendendo, quod non est vera donatio, vel venditio, dominii, vel alterius juris realis translativa, sed benè producit actionem personalem contra promittentem, ad effectum eum cogendi, ut adimple- 7 at præcisè id, quod promisit, vel saltim quanti interest, quod sonat in idem ex deductis *dec.* 58. *par.* 6. *recent.* & *sub tit. de Donat.* pluries in proposito promissionis de donando. 2

Ac etiam habeatur in contractibus, quæ fiunt super rebus differentibus in libero commercio non existentibus, absque alicujus assensu, vel alia solemnitate, puta in feudis, & 8 officiis, ac locis montium, aliisque prohibitis, quod si quis contrahat, atque se obliget obtinere assensum, id non præstat aliquod jus reale, unde propterea, eadem bona, vel jura in contractum deducta, rectè in alterum transferuntur cum assensu, Attamen contrahenti competit actio personalis ad implementum, vel ad quanti interest, ut pluries *sub tit. de feud.* & sub altero *de Regal.*

Si autem hæc actio dicto Octavio competeret, ita quoque compere dicebam ejus creditoribus ex pluries in præcedentibus insinuata conclusione, quod creditor dicitur procurator sui debitoris, cujus vice, ac nomine, exercere potest omnes actiones, omniaque jure competentia; Istudque remedium suppetere dicebam ab aliqua probabilitate non alienum, ad effectum saltem obtinendi aliquam 9 honestam concordiam, non tamen adhuc efformando certum ac maturum judicium, quod absque formali disputatione non de facili efformari potest in illis quæstionibus, quæ non habentur in jure, ac apud scribentes formiter discussæ, & decisæ, atque ita credo, quod hæc ansam præbuerint concordiæ.

ANNOT. AD DISC. XLII.

DE materia *text. in l. qui autem ff. quæ in fraud credit.* habetur *infra disc.* 137. & *seq.* & *in hoc eod. tit. disc.* 159. An autem derogatio fideicommissi suffragetur, quando eam obtinens usus non fuit; habetur *sub tit. de fideic. disc.* 265.

ROMANA
CONVERSIONIS PRETII
PRO N. MAYNNO.

Responsum pro veritate.

An creditor ex duplici causa obtinens bona, vel pecunias debitoris, possit id referre ad causam posteriorem, seu minus privilegiatam, in præjudicium creditoris intermedii, ita repellendi cum alia causa anteriori, vel potiori; Sive an pro interesse fidejussoris, vel alterius interessati, cogi possit creditor ex duplici causa, solutionem referre ad causam posteriorem tanquam dotiorem, pro ipsius fidejussoris, vel alterius indemnitate, pro creditore volente eam referre in causam anteriorem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Solutio referenda est ad causam duriorem pro qua datus est fidejussor.*
3 *Omnes quæstiones circa relationem solutionis cessant, ubi accedit expressa declaratio.*
4 *Creditor non potest cogi recipere solutionem in causa posteriorem, atque consetur facta in anteriorem.*
5 *Anterior dicitur illa, ex qua prius cogi potest.*
6 *De dispositione in l. ob triginta, de quo nu.* 3.
7 *Non potest creditor anterior in præjudicium intermediorum referre solutionem in causam posteriorem ratione concursus.*
8 *Quando solutio ob diversitatem negotiorum potius in posteriorem, quam in anteriorem referri debeat, utpote de ejus effectibus.*
9 *Declaratur conclusio, de qua nu.* 3. *ut debitore declarante, in quam causam solvat, illa attendi debeat &c.*

DISC. XLIII.

TIberio existente Cameræ debitore ex duplici causa, pro quarum posteriori Maynnus fidejusserat, cum ad manus ejusdem Camerę obvenisset pecunia retracta ex pre- 1 tio aliquorum bonorum ejusdem Tiberii defuncti non solvendo, atque prærenderet eam referre in satisfactionem debiti antiquioris, dum pro altero sibi consultum erat adversus dictum fidejussorem, iste prætendebat ex consilio aliquorum Causidicorum, ut dicta pecunia, potius referri deberet in posteriorem causam utpotè durioremm, quali dicitur illa, pro qua datus est fidejussor, ad quam proinde solutio prius referenda est ad regulam *text. in l.* 4 *ff. de solut.* & *ex doctrina* Bart. Castr. & aliorum *in l. si ex pluribus ff. eod.* 2 *tit. de solut.* cum concordantibus apud Grat. *discept.* 224. *nu.* 70. Rota apud Cavaler. *dec.* 99. *n.* 3. *cum seq.* Surd. *dec.* 186. add. ad Buratt. *dec.* 284. & *communiter.*

Et ulterius iidem Causidici, à Maynno fidejussore consulti dicebant quod quæstio tractata per DD. *in l.* 2. & 3. *ff. de solut.* latè reassumpta per Grat. *d. discep.* 224. ubi expendit ferè omnia ad hanc materiam pertinentia, & de qua pluries infra, percutit casum ambiguum, quando scilicet solutio simpliciter facta esset, alio non expresso, ut tunc lex interpretando, sive supplendo partium voluntatem, declaret in quam causam facta censeatur; Secus autem, ubi ipsius debitoris declaratio accedit, quoniam in claris & expressis, non intrant præsumptiones, & argumenta, ut 3 litteraliter disponit *text. in l.* 1 *ff. de solut. cum concord.* apud Cavaler. *dec.* 165. *nu.* 2. & 3. Cels. *dec.* 190. *n.* 9. & 206. *n.* 6. & *sæpissimè*; Quamvis enim ista declaratio non adesset ex parte principalis debitoris jam defuncti, aderat, tamen ex parte ejus legitimi hæredis, à quo, ex eodem consilio ad hunc effectum idem fidejussor curaverat adiri hæreditatem cum beneficio inventarii, ob quod nihil refert eam esse minus idoneam, dum hæres tutus remanet ab omni molestia in persona, & bonis propriis.

Cum autem Camerales id negarent, atque dictam pecuniam referre vellent credito anteriori, pro venienti ex eadem causa, ex qua etiam proveniebat posterius, administrationi scilicet tri remium, tunc temporis ordine, ac diversitate, hinc dictus Mynus desuper consuluit, ad effectum dignocendi, an desuper à Cameraiibus graveretur ut dicti Consulentes asserebant, vel quod eorum prætensione probabili existente, honestam concordiam pro minori ejus damno oportunè procurare posset; Atque ego juxta

hanc

hanc secundam partem consului, ut scilicet, eo quo posset meliori modo, se concordaret, ut sequutum fuit.

Motus ex regula *text. in l. ob triginta ff. de solut.* ubi clarè deciditur, ut creditor petens satisfieri ex causa anteriori, non possit cogi recipere solutionem in causam posteriorem; Et generaliter, ut solutio in causam anteriorem potius quam posteriorem referri debeat *in l. in his, & l. cum ex plurib. ff. de solut. cum concordan.* per Grat. *discept.* 224. Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 136. *n.* 10. *& seq.* add. ad Burat. *dec.* 541.

Potissimè verò ubi utriusque debiti solutionis dies jam cessit cum tunc non intret ea difficultas, quæ cadit quando debiti posterioris cessit dies, quæ non cesserit pro anteriori, cum in hoc proposito anterioritas non desumatur ex tempore contractus, sed ex illo exercitii actionis, seu coactionis ex deduct. per Ruin. *cons.* 136. *n.* 15. *lib.* 2. Rot. apud Merlin. *dec.* 507. & 741. add. add. ad Bur. *ubi supra*, Rota *in Romana, seu Veliterna restitutionis in integrum* 26. *Junii* 1646. cor. Bichio *inter suas* jam impressas in dies cedendas.

Et quamvis *in d. l. ob triginta* non agatur de duplici diverso debito, vel diversa causa, sed ubi est unum & idem, pro cujus parte datus sit fidejussor, & pro altera non; quo casu intrat distinctio, an solutio sequatur ex bonis propriis ipsius debitoris, vel potius ex illis creditoris, vel ejus, cujus bona administrantur, ut primo casu solutio referri debeat ad causam duriorem favore fidejussoriis pro eo liberando, secus autem in secundo, in quo fidejussor præstitus dicitur pro summa residuali, in qua administrator remaneret debitor de proprio, ut in specie habetur *infra disc.* 102. Attamen idem text. clarè probat, quod cessante ista æqualitate, non teneatur creditor invitus dimittere debitum secundum, pro quo datus est fidejussor, ex ea clara ratione, quod ideo creditor, pro primo debito de cautione sollicitus non fuit, quia judicavit in bonis debitoris esse consultum, sollicitus tamen fuit pro secundo, quia de idoneitate dubitaret cum bona absorpta essent à primo, ideoque voluit ita sibi consulere; Ac etiam quia dum bona priori hypothecæ affecta erant, ita esset dare, quod fidejussor obtineret liberationem ex bonis ipsius creditoris magis, quam ex illis debitoris, sive intraret rati circuitus, quod creditor priores hypothecas super eisdem bonis exercere posset.

Et consequenter ex eadem ratione, neque volens posset creditor ex duplici causa, in præjudicium alterius creditoris intermedii, solutionem referri ad posteriorem, ad effectum experiendi creditum anterius in aliis bonis in præjudicium dicti intermedii, ratione circuitus, quod scilicet intermedius possit eidem obiicere, quod habet in manibus pecunias ab eo avocabiles juxta illam circuitus exceptionem, de qua Ottbob. *dec.* 235. *nu.* 15. *& seq.* & advertitur pluries supra, ac infra *hoc eod. tit.*

Tunc autem resolutio, tam pro, quam respectivè contra creditorem, ad causam posteriorem, neglecta anteriori, referenda esset, quando ea proveniat ex eadem causa posteriori, pro qua fidejussor præstitus est, vel alter interessatus existat juxta casum adeo acriter disputatum *in Firmana pecuniaria dec.* 592. & 612. *par.* 5. *rec. & in eadem* 14 *Junii* 1647. & 3. *Junii* 1650. coram Bichio, quod scilicet deputatus administrationi Annonæ pro uno anno, alterius anni sequentis novam administrationem susceperat, præstitis fidejusoribus à prima administratione diversis, unde propterea, ipso principali effecto non solvendo, quæstio erat, an ea, quæ ad manus Civitatis creditricis obvenerant ex pretio frumenti secundi anni præcedentis, atque involuta quæstio pendebat potius ex facto, an scilicet frumentum pertineret ad unam, vel alteram administrationem; Posito enim quod pro certo constaret pertinere ad secundam, rectè dicebant fidejusores istius secundæ, ut ad eam solutio referenda esset, cum ita reputaretur duplex homo, administrans duplex diversum negotium, ideoque effectus unius referri non debent ad solutionem debiti alieni; Eodem modo quo habetur *hoc eod. tit.* de potioritate creditoris socialis posterioris, in effectibus tamen ipsius negotii socialis adversus creditores anteriores privatos cujuslibet ex ipsis sociis, ita pariter, & ex eadem ratione idem dicendum est circa solutionem ad unam, vel alteram causam referendam.

Neque subsistere dicebam ea, quæ supra habentur de declaratione debitoris solventis, quoniam id rectè procedit, ubi debitor, tam naturaliter, quam civiliter vivit, suorumque bonorum liberam habet administrationem, atque in statu bonæ fidei, citra fraudem, vel collusionem solvit in causam expressam ab ipso creditore non impugnatam; Secus autem ubi res est in fieri, & creditor recusat; Sive ubi creditore etiam volente, se opponit alter interessatus, atque solutio non fiat ab ipso debitore, qui tam naturaliter, quam civiliter vivat, sed eo naturaliter mortuo, ab hærede, vel civiliter per decoctionem, ab administratore, vel Judice, postquam bona posita sunt sub concursu, cum tunc non detur locus hujusmodi declarationibus, & gratificationibus ex plenè deductis, cæteris relatis per Salgad. *in labyr. p.* 1. *c.* 10. *n.* 64. *cum seq.* & pluries in aliis *hoc tit.* occasione avocationis, vel cautionis præstandæ &c.

ANNOT. AD DISC. XLIII.
cum duobus seqq.

AGitur in his discursibus in quam causam solutio referenda veniat de quo habetur actum *infra disc.* 102. Ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 102.

VITERBIEN. PECUNIARIA. PRO ORFINIS CUM ALEXANDRO DARDO.

Casus disputatus coram A. C.

De eadem materia, an scilicet creditor ex duplici causa, solutiones sibi à debitore factas, in unam potius quam in aliam referre possit, vel respectivè teneatur, in præjudicium vel respectivè pro indemnitate tertii, puta alterius creditoris, vel fidejussoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Non potest debitor in præjudicium fidejussoris, vel creditorum declarare ex intervallo, in quam causam solverit.*
3 *Declaratur, quando procedat conclusio, ut solutio referri debeat in causam antiquiorem, vel duriorem.*
4 *Quomodo decidenda sit quæstio, in quam causam solutio referatur.*
5 *De alia declaratione conclusionis, de qua n.* 2.
6 *Confessio adminiculata præjudicat tertio.*
7 *Declarationi donatoris est deferendum.*
8 *De alio casu controversiæ super eodem articulo, de quo n.* 2. & 3.
9 *De exactoribus piorum locorum, ad quid teneantur.*
10 *Solutio non potest referri ad causam indebitam, si adest debita.*
11 *Solutiones censentur factæ per administratorem, vel exactorem de pecuniis exactis, vel administratis.*

DISC. XLII.

LAurentius Zagretus, initio anni 1652. ab Orfinis Dohaneriis patrimonii deputatus fuit exactor responsionum debitarum per Communitates, atque pro eo fidejussit Alexander; Anno verò sequenti, vel ab eisdem Dohaneriis, vel à Camera, idem Laurentius deputatus fuit exactor quorumcumque effectuum, ad ipsam Cameram, eosdemque Dohanerios spectantium ratione dictæ Dohanæ, atque pro eo fidejussit Bartholomæus; Cum autem ex utraque causa remansisset debitor in aliquibus summis, atque pro ea, pro qua supponebatur residualis ex causa primæ deputationis, ipso minus idoneo existente, dicti Orfini coram A. C. pulsarent Alexandrum fidejussorem; Iste prætendere cœpit solutiones à dicto Laurentio factas referendas prius esse in primam causam, totumque residuum referri debere ad secundum, quodque propterea ipse fidejussor, ita liberatus remaneret, innixus regulæ, de qua *disc. præcedent.* ut solutiones referri debeant ad causam antiquiorem.

Idque adeo verum, ut quamvis inter debitorem, & creditorem ex intervallo fieret expressa declaratio, quod solutiones potius in unam, quam in alteram causam factæ sint, adhuc id attendendum non sit in præjudicium fidejussoris, vel alterius interessati juxta doctrinam Bart. *in l. ex duobus nu.* 32. *ff. de duobus reis*, quam cæteri sequuntur, ut apud Ronchegall. *de duobus reis in eadem l. ex duobus n.* 71. *& seq.* Rota Jan. *dec.* 65. *nu.* 5. & 6. Rota Romana *dec.* 69. *nu.* 2. *p.* 3. *rec.* & alii; Ex ea clara, & convincenti ratione, quod cum per solutionem ex dispositione legis, ita supplentis, vel interpretantis voluntatem partium, jam extinctum sit debitum, & consequenter sit liberatus fidejussor, sive liberata sint bona debitoris ab hypothecis anterioribus, unde propterea quæsitum sit jus aliis creditoribus intermediis, non

non potest factum debitoris præjudicare tertio, eique tollere jus quæsitum.

Scribens ego pro actoribus, admittebam dictam conclusionem, utpotè veram; Negabam tamen ejus applicationem ad casum, quoniam dicta regula de referendo solutiones in causam antiquiorem, ut advertitur *disc. præc.* rectè procedit, quando partibus non declarantibus, solutio simpliciter fiat, de bonis tamen, ac pecuniis ipsius debitoris affectis debito, ac hypothecæ anteriori, vel respectivè duriori, juxta facti qualitatem; Secus autem ubi agatur de debitis ex diversa administratione resultantibus, atque constet, quod solutiones respectivè factæ sint ex pecuniis unius, vel alterius negotii, seu administrationis, quoniam tunc, licèt tam in debitore, quam in creditore concurret identitas personarum materialium, attamen de jure intrat pluralitas, seu diversitas personarum formalium, adeout plures, ac diversi reputentur debitores, & creditores respectivè, pro diversitate administrationum, seu negotiationum, & consequenter illę solutiones, quæ factæ sunt ex effectibus unius negotii, seu administrationis, referri non possunt ad debitum ex diversa causa, quamvis anterius, vel durius, quoniam esset dare inconveniens, ut debitum unius extingueretur cum pecunia alterius, juxta casum, de quo *disc. præced.* & de quo *decis.* 592. & 612. *p.* 5. *rec. cum aliis eodem disc. præced.* deductis, & præsertim juxta *dec.* 1. *Lucen. Magonii*; Et hic erat casus, quod scilicet effectus perventi ad debitorem ex causa secundæ administrationis nullatenus referri poterant ad primum debitum.

Hinc proinde, tam in ista causa, quam in plerisque aliis sub eodem articulo, seu quæstione cadentibus, præsertim *in Romana Cambii* pro Petro Marchesio cum Antonio Rapacciolo, ejusque creditoribus, & *in Romana pecuniaria* pro Confraternitate Crucifixi cum Jovita Poma, & in aliis dicere consuevi, quod ista quæstio verè non est juris, sed nudi facti, ex sitis qualitate, & circumstantiis decidenda, an scilicet constet in facto, quod solutiones ex una ratione, seu administratione magis, quam ex altera proveniant, atque ex hoc pendebat involutio in adeo acriter disputata Firmana, de qua *d. disc.* 592. v. & 612. *p.* 5. & *in aliis in eandem causam* coram Bichio, quoniam posito facto, juris theorica remanet plana.

Atque circa declarationem ab ipso debitore etiam ex intervallo factam, advertebam, quod dicta conclusio super hujusmodi declaratione non attendenda, rectè procedit, quando agatur de nuda confessione, quæ regulariter in prohibitis non attenditur; Secus autem ubi, pro facti qualitate, sufficientia accedunt adminicula reddentia casum dubium, adeout nuda juris præsumptio, quæ ex dicta regula resultat, si non omnino sublata, saltem nimium offuscata remaneat, quoniam tunc declarationi ita adminiculatæ deferendum est, ex regula, de qua præfertim plenè *sub tit. de Dote disc. gener.* 159. & in aliis particularibus pluries, occasione doris confessatæ, ut confessio admiculata præjudicet etiam tertio; Quod extenditur etiam ad Prælatum præjudicantem Ecclesiæ, ac tutorem præjudicantem pupillo, cum similibus, quia præcludi non debet via recognoscendi veritatem, ac bonam fidem, atque juris præsumptio nedum per expressam probationem, sed etiam per fortiores præsumptiones tolli potest.

Sive ex altera conclusione, de qua *sub tit. de Donat.* ac alibi pluries, quod donatori, vel alteri contrahenti, cui interdicta est facultas revocandi, seu alias præjudicandi, conceditur potestas declarandi, ejusque declarationibus deferendum est, quoties casus sit dubius, adeout rectè congruant termini declarationis, vel interpretationis, istaq; sit verisimilis, & bene adminiculata, unde propterea sufficienter tollatur suspicio affectationis, vel collusionis.

Præsertim autem *in dicta Romana* pro Confraternitate Crucifixi; Cum Jovita fidejussisset pro Constantino ejusdem Confraternitatis exactore pro tempore futuro, ob jam terminatam fidejussionem de præterito, ad certum tempus determinatum præstitam, atque post hanc secundam cautionem, dictus exactor plures pecuniarum summas Camerario solvisset, hinc prætendebat fidejussor pulsatus coram Judice particulari dictæ Confraternitatis pro debito residuali hujus ultimæ administrationis, ut dictæ solutiones in ejus causam essent referendæ, dum ita factis calculis exactionis, in nihilo debitor remanebat; Verùm scribens ego pro Confraternitate, etiam cum sensu veritatis, dicebam contrarium respondendum esse (atque ita judicatum fuit,) quoniam licet dictus administrator non teneret libros; seu computa distincta, ex quibus probari posset dicta diversitas, cujus explicitæ probationes in facto non de facili haberi poterant; Attamen id convincebatur ex ea circumstantia, quod de tempore solutionum, adhuc sequutæ non erant exactiones effectuum cadentium sub secuda, seu nova administratione, & consequenter dictus exactor non erat debitor, cum ejus debitum proveniebat ab exactione, sub cujus præsupposito, vel conditione obligatio contracta censetur, & non alias, juxta ea, quæ punctualiter cæteris relatis in hujusmodi piorum locorum exactoribus firmantur per Rotam coram Royas *dec.* 189. Ideoque dum de tempore solutionis non erat debitor ex causa nova, sed benè ex antqua, solutio ad causam debitam, non autem ad indebitam referenda erat ex deductis per Rot. apud Merlin. *dec.* 507. & 741. *cum aliis per* Add. ad Burat. *decis.* 541. Potissime stante dicti exactoris paupertate, adeout cum hoc ministerio viveret, cum tunc intret præsumptio, quod solutiones factæ non sint de proprio in causam futurę exactionis faciendæ, sed potius de pecuniis jam exactis, & administratis ad not. per Bart. *& alios in l. Nesennius ff. de neg. gest.* Rot. *decis.* 547. *num.* 16. *part.* 5. *recent.*

ROMANA SALVIANI PRO GUARNERIO CAVALLERINO CUM N.

Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato.

De eadem materia solutionis referendæ magis in unam, quàm in alteram causam; Et an creditor, & debitor, ex causa erroris retractare possint solutionem factam in unam causam, illamque referre in alteram, in præjudicium tertii.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi causa solutionis exprimatur, de alio non est quærendum.*
3 *Neque contrarium ex intervallo declarari potest.*
4 *Errantis nulla est voluntas.*
5 *Probatio perfecta excludit contrariam possibilitatem.*
6 *Qui in se accollavit aliquos creditores, potest dimittere anteriores eis.*
7 *De alio casu super quæstione, in quam causam solutio debeat referri.*
8 *Quomodo ista quæstio decidenda sit, & quod attendi debeat verisimilitudo.*

DISC. XLV.

CUm Marinus, emptione facta cujusdam prædii hæreditatis Monaldi, in causam pretii in se accollasset diversa debita, præsertim partitam scutorum trium mille debitam per Angelinum Guarnerio, post aliquod intervallum huic solvit quamdam summam in duplicem causam, in qua se debitorem præsupposuit, unam scilicet prædictam scutorum trium mille debitorum ab Angelino, & alteram scutorum 700. debitorum per dictam hæreditatem, adeout facta repartitione, summa soluta cederet in causam hujus secundi debiti pro rata scutorum 359. agnoscens autem Marinus deinde erroneè dictam assertionem fecisse, cum esset solum debitor ex causa dictæ accollationis primæ, non autem posterioris partitæ, hinc citato dicto Guarnerio, obtinuit à Judice declarari integram summam solutam ad primum debitum scutorum trium mille referendam esse; Quare Guarnerius pro recuperatione dicti alterius debiti scutorum 700. judicium in Saldianum instituit ad quædam bona hereditaria contra tertium possessorem, excipientem de extinctione debiti pro dicta rata scutorum 359. quoniam cum debitor in actu solvendi, creditore non contradicente, sed potius approbante, declarasset solvere in utramque causam unde propterea intrabat proportio, seu repartitio, ita cessabat quæstio deducta ex *text. in l. 1. cum plur. seq. ff. de solut.* in quam scilicet causam ex pluribus solutio referri debeat, cum ea cadat in dubio, non autem ubi causa expressa est, quoniam tunc, ubi agatur de debitore habili, cui libera administratio interdicta non sit, non intrat distinctio causæ anterioris, vel durioris, sed attenditur causa expressa, ut litteraliter disponitur *in d. l. 1. ff. de solut.* Rom. *cons.* 94. *n.* 2. *cum concord. per* Rovit *cons.* 65. *lib.* 2. Gregor. *dec.* 366. *n.* 3. *Rot. cor. Celso in Rom. Pecuniaria* 5. *Julii* 1655. & 17. *Junii* 1658. *inter suas dec.* 206. *n.* 6. & 264. *nu.* 11.

Hoc

Hoc autem posito, deducebatur altera conclusio, de qua *disc. præced.* ut subsequens declaratio, sive retractatio inter debitorem, & creditorem, quamvis concorditer facta
3 præjudicare non possit tertio, cui per effectum extinctivum à solutione consumatum, jus quæsitum est, neque debiti jam extincti revivifcentia dari potest, ex regula, quod à privatione ad habitum non datur regressus juxtà auctoritates *eod. disc. præced.* allegatis.

Desuper autem ex parte Guarnerii consultus; Respondi idem idem, quod *in eod. disc. præced.* advertitur quæstionem scilicet esse potius facti quàm juris, & an reverà probaretur erroneum præsuppositum à dicto Marino solvente factum, quod ipse in vim accollationis esset debitor ex utraque causa; Ubi enim ita res haberet, admittebam veritatem exceptionis, secus autem in casu converso cum tunc intret regula, quod errantis nulla est voluntas, *ad*
4 *text. l. nihil commune, ff. de reg. jur. ubi Doc.* advertit, quod ista regula nullam patitur limitationem, illaque plenè exornatur der Rot. *dec.* 44. *n.* 3. *& seq. part.* 11. *rec.*

Quamvis autem ex lectura instrumenti accollationis cõstaret, quod Marinus in causam prætii rei emptæ, primam, non autem alteram partitam verè in se accollasset, Adhuc tamen dicebatur ex parte Rei conventi (& benè) adesse contrariam possibilitatem, quæ sufficit ad tollendam probationem erroris in dubio non præsumendi, ideoque indigentis probatione concludenti, quæ adesse non dicitur contraria possibilitate militante ex collectis per Barbos. *axiom.*
5 191. *cap.* 2. Rot. apud Celf. *dec.* 161. *num* 3. & passim, quoniam cum ista secunda partita scut. 700. esset anterior aliis debitis accollatis, ita rectè potuit emptor pro majori multo cautela, neglectis debitis posterioribus, quamvis expressè accollatis, solvere anteriora juxta *dec.* 291. Millin. &
6 *dec.* 511. Gregor. *& in aliis pluries*, ideoque ad hanc facti circumstantiam, quæstio restringebatur, neque judicium dari poterat isto facto non elucidato.

In proposito autem hujus quæstionis, in quam scilicet causam ex pluribus ab eodem debitore debitis solutio simpliciter facta referenda sit *in Romana locationis venæ ferri inter Principem Ludovisium & Rinuccinos*, de qua habetur actum *sub tit. de Regalib. disc.* 117. *& sub tit. de usur. disc.* 4.
7 ac etiam *sub tit. de camb. disc.* 24. inter plures quæstiones, seu articulos in ea cadentes, fuit iste, an quædam solutiones simpliciter factæ, referri potius deberent in causam ibi enunciati cambii pro impediendo cursum usurarum; seu cambiorum, vel potius in quasdam partitas, quæ posteà in fide per simplices epistolas sub promissione promptæ restitutionis absque aliqua conventione usurarum mutuatę fuerant; Et quamvis omnes regulæ suaderent relationem ad causam cambii, utpotè antiquiorem, ac usurariam, & cum obligatione camerali, aliisq; pactis executivis, ideoque dupliciter duriorem; Attamen Rota, seu tres Auditores Arbitri, contrarium judicarunt sequendo firmata apud Grat. *discept.* 224. *num.* 16. *& discept.* 105. *num.* 15. ut scilicet, ubi facti circumstantiæ suadeant, quod ex legibus congruentiæ, seu aliàs verisimiliter in causam leviorem, ac moderniorem solutio fieri potuerit, tunc regulæ generales non attendunturJ; Atque mihi licet scribenti in contrarium, resolutio placuit, & probabilis visa est; In dies etenim experimur, quod si habeatur pecunia mutua pro aliqua urgenti indigentia in solo verbo, cum promissione promptæ restitutionis, quinimò etiam si ejus fides habeatur inter nobiles, vel civiles ex causa ludi, solutio deinde sequuta, in istam causam potius, quam in quascumque præcedentes, quamvis antiquiores, ac duriores cum formalibus contractibus, atque usurarum conventionibus & pactis executivis, fieri solet, ita suadente lege convenientiæ, quæ frequentius magis stringere solet, quam illa cujusque stricti, ac rigorosi contractus; Ideoque in hujusmodi quæstionibus, utpotè, ut dictum, potius facti, & voluntatis, quam juris, ex facti qualitate,
8 & circumstantiis decidendis, potissimum spectanda est verisimilitudo *ex deduct. per* Gratian. *dicta discept.* 224. *n.* 95. Burat. *& add. decis.* 284. *ubi concord.* & consequenter certa & determinata regula cuicumque casui applicabilis desuper tradi non potest.

ROMANA
SEU ALBANEN. PECUNIARIA
PRO MARCHIONE NUNEZ
CUM ANGELA SORBINA, & aliis.

Casus dispututus coram A. C. resolutus pro Marchione.

An, & quando in præjudicium creditoris anterioris, posterior compenset cum seipso creditum sibi superventum cum ejus proprio debito, quod anteriori affectum erat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione an fiat compensatio cum seipso, referuntur opiniones hinc inde.*
3 *Compensatio non datur cum credito, quod de tempore obligationis præexistebat.*
4 *Neque ubi debitum est juratum.*
5 *Liquidi ad illiquidum non datur compensatio.*
6 *Quod verior opinio sit pro compensatione in quæstione, de qua num.* 2
7 *Quod ista sit quæstio facti, & quomodo decidenda sit cum distinctione.*
8 *In censu non datur compensatio, & de ratione.*
9 *Quando debitum, & creditum proveniunt ex eadem causa de plano intrat compensatio.*
10 *An debitum ex uno titulo compensetur cum credito ex titulo diverso.*
11 *Qualis sit propriè casus quæstionis, de qua nu.* 2.
12 *Quod isto casu regula sit pro compensatione.*
13 *Distinguitur potestas, & voluntas.*
14 *De quæstione an compensatio facta ipso jure, vel ope exceptionis.*
15 *Quando intret ipso jure.*
16 *Quod declaratio esse debeat tempore belli.*
17 *De ratione ob quam reflectendum est ad distinctionem.*
18 *De casu, in quo ille qui vult compensare, esset prius creditor, & postea debitor & de differẽtia cum casu cõverso.*
19 *Quod ista quæstio regulanda sit ab altera avocationis pecuniæ.*
20 *&* 21 *De conclusione, de qua nu.* 4.
22 *De conclusione, de qua uu.* 5.
23 *De circumstantiis excludentibus compensationem.*
24 *Quomodo quæstio decidenda sit.*
25 *De causæ exitu, & ratione resolutionis.*

DISC. XLVI.

Cum Jo: Baptista Sabainus faber murarius, sive fabrorum præfectus, ut vulgo dicitur *Capomastro*, esset debitor Marchionis Nunez ex contractu cambii cum eo initi
1 in scutis bis mille in sorte, idemque Marchio construere vellet, (ut de facto construxit) conspicuam domum, hinc eumdem Jo: Baptistam conduxit super dicti ædificii præfectura, seu constructione, plures cum eo faciendo conventiones, tam circa murorum, & fabricæ, quam aliorum cementorum pretium, cum promissione subministrandi pecunias in dies ad id necessarias, ad proportionem qualitatis, ac perfectionis operis, ut de facto pro notabili ejusdem ædificii parte jam constructa, sequutum fuit, solvendo pecunias ad computum, ad effectum (ut fieri solet) solidandi in fine operis jam completi; Cumque eodem opere adhuc incompleto, dictus Jo: Baptista, ære alieno pressus, fugam arripuisset, atque aliqui creditores, præsertim Angela nurus, ejusque filii jam canonizati anteriores ex causa cujusdam donationis per Rotam in duabus decisionibus editis *in Romana seu Albanen. dotis* 1. *Julii* 1665. *&* 22. *Martii* 1666. *cor. Bourlemont.*, stante obligatione camerali contenta in utroque contractu respectivè, judicium executivum cor. A. C. instituissent contra dictum March. tanquam debitorem debitoris pro summa scut. mille circiter, in quibus ex judicio peritorum, facta æstimatione operis, apparebat eum remanere debitorem præfati Jo: Baptistæ, adversùs hanc petitionem reus conventus excipiebat de compensatione cum dicto majori ejus credito ex causa cambi scut. bis mille, ac fructuum seu cambiorum; Quia verò istud creditum erat posterius, hinc proinde actores replicabant, quod hujusmodi compensatio in eorum præjudicium re non integra, & postquam communis debitoris decoctio detecta erat, allegari non poterat, unde propterea assumpta fuit quæstio, antiquioribus fortè ignota, seu non adeo per eos disputata, sicuti per modernos, & resoluta ut infra in fine.

In disputationibus igitur desuper habitis per scribentes hincinde, magnus fiebat cumulus auctoritatum, pro una, vel altera opinione stantium, ita pro consueta pragmaticorum insipidura elaborando circa numerum, quæ scilicet opinio esset magis communis.

Pro exclusione siquidem compensationis, contra credi-
2 torem posteriorem, cum debito cum seipso, ut fieri non possit in præjudicium anteriorum, deducebatur auctoritas Pranch. *dec.* 53. quæ reputatur in materia magistralis, & quasi scaturigo hujus opinionis, quam sequuntur plures, relati per Giurb. *observ.* 106. *n* 4 *cum seq. add. ad* Franch. *ubi supra, & Salgad. in labyr. part.* 2. *cap.* 28. qui hanc sequi videtur, Et è converso deducebatur *decis.* 25. Capyc. Latr. quæ reputari solet magistra diversæ opinionis, ubi in specie reprobatur, seu declaratur *d. dec.* 53. Franch. & sequuntur alii relati per Giurbam *dicta observ.* 106. *num.* 8. *cum seq. & per add. ad* Franch. & Capyc. Latr. atque hanc sequuta est Rota pluries præsertim *dec.* 184. *&* 409. *par.* 9. *recnt. & apud* Otthob. *decis.* 55. *repetit. post* Merlin. *de pign. dec.* 107. presertim verò *d. dec.* 183. quæ in Curia reputari solet magistralis, ut advertitur *disc. seq.* ideoque & cæteri pro reo convento scribentes, dicebamus, quod ab hac posteriori opinione majori calculo recepta, atque per Rotam canonizata, recedendum non erat.

Replicabant verò Scribentes in contrarium, quod ubi etiam dicta opinio regulariter tenenda esset, adhuc tamen in hac facti species, ista compensatio cadere non poterat ex tribus limitationibus, quarum quælibet sufficeret, multò magis eis simul juncti.

Primò scilicet, quod debitum proveniens ex causa ædificii contractum fuit de tempore, quo jam præexistebat dictum creditum ex causa cambiorum, ideoque dicebant in-
3 trare conclusionem, ut non detur compensatio cum credito jam præexistenti, & cognito, quoniam ille, qui jam creditor erat, se constituendo debitorem sui debitoris, declarasse censetur animum non compensandi, atque huic juri renunciasse, ut declarando sensum, Bart. *in l. amplius §. peto, ff. rem rat. haberi, ex Tiandur.* & aliis relatis firmant Afflict. *dec.* 381. Capyc. *dec.* 167. & alii apud Otthobon. *dec.* 118. *num. fin. & dec.* 332. *n.* 24. *par.* 10. *rec.*

Secundò in idem, & fortius, quoniam hoc posterius debitum contractum fuerat cum juramento, quo accedente, magis de plano intrat exclusio compensationis, præ-
4 sertim cum credito præexistente de tempore juratæ obligationis ad *tex. in cap. ad nostram de jur. jur. cum concord.* de quibus Afflict. *dec.* 163. *n.* 2. *&* 3. Capyc. *d. dec.* 167. *n.* 4. Gallesf. *de oblig. cam. qu.* 18. *n.* 9. ibique Zach. *in add. n.* 18. Rot. apud Duran. *dec.* 404. *n.* 11. add. ad Burat. *dec.* 717. *n.* 7. *& in aliis.*

Et tertiò ex regula, quod liquidi ad illiquidum non datur compensatio, quoniam incertum erat, quisnam pro tempore esset debitor, vel creditor, an scilicet conductor,
5 vel locator operarum, dum solutiones fiebant ad computum, creditum autem operarum pendebat à futura ædificii mensuratione, ac cementorum numeratione, seu etiam à mensura respectivè ad formam capitulationis; Et consequenter dicebant Scribentes pro actoribus, dari non potuisse re integra, & in statu bonæ fidei aliquam compensationem cum seipso in causam dicti alterius diversi crediti, cum antequam occasione istius judicii fierent calculi, ac mensuræ respectivè, conductor operarum incertus esset, an remaneret potius debitor, quam creditori, ideoque dari non poterat animus compensandi, in eo, quia nesciebat debere.

Quamvis autem dictæ exceptiones, seu limitationes in
6 meo sensu non inferrent difficultatem, (quam tamen inferebat altera circumstantia compensationis exclusiva, de qua infra, per Scribentes in contrarium non deducta, & quæ verè me torquebat;) Ac etiam posterior opinio magis probabilis videretur, ex eadem æquitativa ratione commercii ex qua receptum est denegari creditoribus anterioribus avocationem pecuniæ bona fide solutæ, & consumptæ, seu commixtæ à posterioribus, adeout cessante mala fide, seu circumstantia limitante, dicta posterior opinio Capyc. Latr. pro regula recipienda videtur.

Attamen in ista questione, quam famigeratam dicit Prat.
7 *obs.* 26. *n.* 8. occasione illam pluries, ac pluries disputandi, comperii, quod malè nostri, adeo se involvant, eamque intricatam reputent, quoniam revera ea videtur potiùs facti, quam juris, totaque vis disputationis consistit magis in adplicatione ad singulos casus pro eorum particularibus circumstantiis; Ideoque semper erroneum censui, regulam generalem desuper statuere, sive auctoritates, ac decisiones unum casum percutientes, cuicumque alteri applicare, juxta ineptum pragmaticum abusum, ex quo tot æquivoca resultant, sed quod procedendum sit cum distinctione, cum qua omnia de plano conciliari videntur.

Quare casus distinguendo; Primus est, ubi creditum, ac debitum respectivè de jure non sunt compensabilia ex parte creditoris tantùm nisi etiam debitoris declaratio accedat, puta in debito ex causa census, quod ex parte creditoris in sorte est irrepetibile absque voluntate debitoris 8
ac etiam ex parte istius, quamvis quandocumque redimibile, attamen neque simpliciter est tale, quoties cesset consensus creditoris, quo invito exigit disdictam juxta formam Pianæ constitutionis, de qua in sua materia *sub tit. de cens.* Tunc etenim si debitori quantitatis superveniat creditum ex causa census, superveniat creditum quantitatis, multò verò fortius si utrumque debitum, & creditum respectivè sit ex eadem causa census, planum est non intrare compensationem ipso jure, absque alia animi declaratione, quoniam non est compensabile illud debitum ad cujus solutionem debitor, vel respectivè creditor invitus cogi non potest, saltim certa forma non servata, cum compensatio aliud non sit, nisi ficta solutio, fictio autem plus operari non possit quam veritas, ut advertitur infra in Maceraten. *disc.* 40. ideoque auctoritates hos terminos percutientes, veniunt segregandæ tanquam extraneæ.

Alter est casus magis oppositus, ubi tam debitum, quam creditum proveniunt ex eadem causa, seu statione, adeout sint invicem connexa; Et tunc, licèt DD. istos compensationis terminos adhibeant, attamen est impropria 9
loquutio, quoniam verè, & propriè non est compensare debitum cum credito supervento, sed potius dicitur calculus dati, & accepti, atque ita detegere, quod non remaneat debitor, ut benè cæteris relatis advertunt Munoz *de ratiocin. c.* 10. *&* 13. Galeot. *lib.* 1. *contr.* 41. *n.* 8. *&* 9. *lib.* 2. *& contr* 62. *n.* 12. Capyc. Latr. *d. dec.* 25. *n.* 23. *& consult.* 73. *n.* 27. *&* 28. Rot. *dec.* 231. *n.* 28. *p.* 9. *rec.*

Tertius casus est, ubi non solùm concurrit diversitas causæ inter debitum, & creditum, sed etiam diversitas persona-
rum formalium in eadem persona materiali, putà quia ipsi 19
debitori ex nausa propria, & privata, superveniat creditum jure fideicommissi, vel majoratus, seu feudi, aut beneficii, sive ex titulo hæreditario alterius cum beneficio *l. & inventarii*, cum similibus, vel è converso ipse creditor ex persona propria efficiatur debitor ex dicta alia persona, & de isto casu agitur *disc. seq.*

Quartus est ille, qui verè, & propriè cadit sub quæstione, de qua agitur apud Franch. *d. dec.* 53. & Capyc. Latr.
dec. 25. ac alios respectivè utriusque sequaces ut supra, 11
quod scilicet data unitate personæ, illi, qui jam est debitor, superveniat ex intervallo creditum contra ejus creditorem, an possit cum seipso compensare in præjudicium creditorum anteriorum cum hypotheca, cui ejus nomen, seu debitum jam affectum est; Atque isto casu, de stricto jure negativa verior videtur, quoniam, licèt debitori integrum sit in statu bonæ fidei, & antequam accedat inhibitio legis, vel hominis, solvere debitum proprio creditori, quoniam sufficit distraxisse cum eo, cum quo contractum est, atque facta solutiones, omnes hypothecæ aliis quæsitæ resolvantur ad terminos *text. in l. nomen, C. quæ res pign. oblig. poss.* Attamen id intelligitur, ubi accedat solutio vera per effectivam restitutionem quantitatis, vel generis, quod erat in obligatione, non autem per solutionem fictam, seu intellectualem, ex iis, quæ habentur supra in Senen. *disc.* 40

Verùm, (ut suprà insinuatum est) ex eadem æquitativa ratione commercii, & ne mundus litibus involvatur, ob quam in foro magis receptum est, denegari anterioribus 12
avocationem pecuniæ bona fide consumptæ & solutæ posteriori, quamvis de stricto jure secus dicendum esset, ita pari ratione, pro regula (cessantibus circumstantiis ejus limitationem inducentibus,) recipienda videtur magis benigna opinio pro compensatione, juxta secundam opinionem, de qua apud Capyc. Latr. *dec.* 25. magis communi calculo receptam, atque à Rota etiam probatam in supra allegatis decisionibus præsertim *d. dec.* 183. *p.* 9. *rec.* quæ ut dictum est, circumsertur tanquam magistralis.

Adhuc tamen duplex desuper cadit inspectio, Una scilicèt potestatis tantùm, quando certa adsit compensandi voluntas, atque circa istam verè & propriè adversatur dicta quæstio, ut scilicet posita voluntate, agatur solum de potestate, pro cujus competentia regulariter respondendum videtur ut supra; Et altera voluntas, quæ pariter duplicem habet

habet inspectionem, Unam scilicet facti, an cessante probatione explicita, & certa, adsit necnè sufficiens probatio præsumptiva, seu adminiculativa, quam non dubitatur sufficere, & ista dicitur quæstio potius facti, quam juris, certam determinationem non de facili recipiens, quando scilicet præsumptiones, & adminicula sint sufficientia necnè, quod pendet ex facti circumstantiis, prudenti arbitrio pensandis ex facti qualitate, ob quam, in uno casu, aliqua adminicula sufficientia reputentur, in altero verò, eadem ac majora secus, juxtà ea, quæ in omni materia circa præsumptam, seu adminiculativam probationem habentur.

Quæstio verò juris est, an cessante hujusmodi voluntatis extinseca probatione expressa, vel adminiculativa, ut supra, ea de jure præsumatur, adeout compensatio (ut nostri dicunt,) fieri dicatur ipso jure, seu juris ministerio absque alia declaratione, Vel potius fiat ope exceptionis, mediante oppositione, seu declaratione animi; Istaque est
14 una ex involutis Modernorum quæstionibus; Aliquibus opinantibus juxta primam partem, ut compensatio fiat ipso jure; Aliis verò opinantibus contrarium, ut requiratur oppositio, ex cujus tempore fiat compensatio, ut de utraque opinione per Rot. *dec.* 183. & 409. *p.* 9. *rec.*

Posterior autem pro exclusione compensationis absque oppositione, in puncto juris verior, magisque communis videtur, ideoque statuenda est pro regula, limitanda ta-
15 men; Primò, ubi agatur de debito usurario, ad effectum impediendi cursum usurarum; Et secundò, ubi ita suadeat æquitas, quod creditori non remaneret aliàs consultum ob debitoris insufficientiam; ut de utraque limitatione habetur præsertim *d.dec.* 183. & 409. *p.* 9. *rec.* & *in aliis plures*, ut alibi *hoc eod. tit.* non semel advertitur.

Et de consequenti, retenta dicta secunda opinione, ut
16 necessaria sit oppositio, seu animi declaratio, intrat limitatio, seu moderatio, quæ à plerisque traditur dictæ regulæ compensationi favorabili, ut scilicet eadem declaratio sequatur tempore habili, atque in statu bonæ fidei, ut infra in sequenti casu advertitur.

Nullus autem ex hujusmodi quatuor casibus congruebat præsenti controversiæ, cadenti sub alio diverso casu, de
17 quo proximè infra; Insinuabantur tamen hæc opportunè, ac citra evagationem, ad distinguendum doctrinas, quæ juxtà consuetum vitium in confuso confarcinari solent, ut ita ostenderetur, quod omnes doctrinæ, quæ istos quatuor casus percutiebant, ob diversas rationes respectivè, extraneæ dici poterant casu controversiæ, ideoque merebantur poni ad partes.

Quintus demùm est hujus controversiæ casus præcisus, ubi Ille, qui est creditor, deinde efficiatur ex diversa causa sui debitoris debitor, eadem tamen personæ unitate retenta, adeout non intret ratio discretionis, seu diversita-
18 tis personarum formalium in una materiali, & consequenter non intrent difficultates, de quibus *disc. seq.* Et tunc magis de facili recipienda venit secunda opinio compensationi favorabilis pro regula, ob minorem difficultatem desuper cadentem; Siquidem in proximè præcedenti casu opposito, in quo ille, qui jam est debitor, efficiatur sui creditoris creditor, intrat ratio, cui potissimum innituntur Franc. *d. dec.* 53. & *seqq.* quod scilicet ejus nomen jam cecidit sub anteriorum creditorum hypothecis, quibus affectum est, ideoque non dissolubile, nisi per veram, ac effectivam solutionem, non autem fictam; Ista enim ratio non intrat in præsenti, quoniam, sive ob voluntatem expressam, vel adminiculativam, sive ob eandem, juxta aliam opinionem, à lege præsumptam ut supra, nomen debitoris nunquam fuit sub anteriorum creditorum hypothecis, cum præexistens creditum ejus, qui deinde ex diversa causa efficitur sui debitoris debitor, istud debitum ipso jure suffocet ac impediat, ne efficiatur de patrimonio debitoris, tanquam per speciem oppositionis principio acquisitionis, & consequenter nunquam steriffe dicitur sub anteriorum hypothecis, juxta distinctionem, de qua supra *d. disc.* 40. inter casum, quo debitor succedat creditori, vel è converso creditor succedat debitori, ut una specie confusionis ab altera differat ex ibi deductis, quæ ad rem facere videntur, pro distinctione unius casus ab altero; Ideoque cum in isto casu versaremur, quod scilicet reus esset prius creditor ex causa cambii, quam debitor ex causa alterius contractus super ædificio ut supra, ita dicebam, quod eidem magis assisteret regula, quoniam si illa procedit in casu præcedenti, in quo dicta major dubitandi ratio intrat, multò magis in isto.

Quia verò, tam in uno, quam in altero, opus, ut id sequatur re integra, atque tempore habili, priusquam scilicet per mortem civilem, vel naturalem, impedimentum resultet, Hinc proinde in utroque, major inspectio cadere solet, super congrua applicatione, seu extremorum habilitate, & an ea voluntas, quæ declarata, vel à 19
lege subintellecta, compensationem producit, superveniat tempore habili; super quo procedendum in omnibus videtur cum iisdem distinctionibus, ac terminis, quos habemus infra pluries, ad materiam avocationis pecuniæ per anteriorem faciendæ à posteriori, cui soluta est; Eo enim ipso, quod damus avocabilitatem pecuniæ licèt consumptæ, vel confusæ, quia nempè, ratione malæ fidei, seu aliàs, habenda sit pro extanti, ipseque solutionis actus pro non facto, tunc perneceſsè dare oportet etiam impedimentum hujus compensationis, quæ dicitur ficta solutio, nè aliàs majoris esset operationis fictum, quàm verum.

Posita igitur regula favore Rei allegantis compensationem, & quam regulam primus judex, qui majorem habebat difficultatem, ac etiam Scribentes in contrarium admittebant; Punctus erat in limitationibus supra insinuatis, in quibus insistebatur, quas tamen non subsistere di- 20
cebam; Quatenus enim pertinet ad primam & secundam, quod scilicet ille, qui jam erat creditor cum juramento se constituerit debitorem sui debitoris, unde propterea censeatur renunciasse juri compensandi ut supra: Ultrà ponderationem, quod non adesset formale juramentum explicitum tactis scripturis præstitum, quod propriè causat verum, ac formalem perjurii reatum, cujus ratione intrat dispositio *text. in cap. debitores*, & *cap. ad nostram de jur. jur. cum ibi notatis*, dum agebatur solùm de juramento implicito, seu virtuali, deducto ex formula obligationis cameralis contentæ in apoca privata super dicto ædificio confecta.

Advertebam, quod conclusio procedit, quando ille, qui est alicujus creditor, se constituit sui debitoris debitorem certum, ac liquidum, in summa, vel quantitate tunc compensabili, si compensandi animum habuisset, 21
unde propterea resultat, quod ita declarare dicatur animum non compensandi; Et in his terminis loquuntur Afflict. Capyc. & *alii*, *de quibus suprà*; Id autem in hac facti specie non intrabat, quoniam Marchio reus conventus, qui præfati artificis creditor erat, non constituit se debitorem in aliqua summa certa, & determinata, sed quia futurum ædificium erat insigne, valoris scutorum 50. m. & ultra, hinc proinde oportebat ita se constituere debitorem subministrandi in dies, & tempora pecunias, pro oportunitate operum, & cæmentorum, quod tamen non excludit animum compensandi, sive paulatim, ac insensibiliter retinendi, & excomputandi proprium creditum; Idque (juxta satis verisimilem sensum) fuisse videtur causa, ut Marchio volens ædificium construere, potius istius, quam alterius artificis opera uteretur, ut ita scilicet haberet occasionem se commodè reintegrandi de proprio credito à debitore, à quo non de facili unica vice illud exigere potuisset, ut communis usus comprobat, ideoque magna præsumptio huic compensandi voluntati assistere videbatur, ratione verisimilitudinis, quæ in conjecturalibus, & adminiculativis principatum obtinet.

Eademque ratione resultabat responsio ad tertiam limitationem deductam ex illiquiditate, seu incertitudine, 22
quoniam eo ipso quo d opus construebatur creditum artificis in substantia erat certum, quamvis ante mensurationem, nobis pro humani intellectus imbecillitate esset ignotum; Undè propterea, certificatio, quæ post decoctionem, mediante mensuratione, sequuta erat, aliud non continebat, nisi detegere id, quod jam inerat juxta optimum *text. in l. adeo ff. de acqu. rer. dom.* ac pluries insinuatum exemplum ibi traditum excutientis grana à spicis, & consequenter intrat retrotractio, ut in specie advertitur *d. dec.* 409. *nu.* 29. *p.* 9. *rec.*

Difficultas autem non levis apud me erat, per Scribentes in contrarium non tacta, aliqualiter tamen habita in mente primi judicis, (qui tamen non benè eam explica- 23
bat,) quod scilicèt, reus conventus erat negotiator, atq; suum creditum, quod habebat cum artifice erat fructiferum sub cambiis, ideoque sibi expediebat illud retinere vivum, ut ita esset fructiferum, atque cambia currerent, quod sequi non potuisset, si illud fuisset paulatim, atque in dies compensabile, ideoque illa præsumptio quam benignior opinio favore compensare volentis, admittere solet ad im-

ad impediendum præsertim cursum usurarum, sive quod aliàs consultum non remaneret juxta *d.dec.* 183. & 409. *p.* 9. *rec.* cum ibi deductis, potiùs retorquebatur.

Fortiùs verò ex alia facti circumstantia, quod idem Reus conventus negotiator tenebat libros benè distinctos more mercantili super cambiis, aliisque negotiis, ac etiam tenebat librum particularem dati, & accepti hujus ædificii, & tamen in hoc libro particulari nihil adnotatum reperiebatur inter partitas dati, seu ejus crediti, ex causa hujus debiti artificis; Et è converso in altero libro, in quo adnotatum erat creditum ex causa cambii cum ipsorum cambiorum cursu, nihil è conspectu, sive ut dicitur *di contro* adnotatum erat ad creditum artificis ex dicta alia causa, undè propterea cessabat ea circumstantia, in qua potissimum fundamentum constituitur *in d. dec.* 183. *p.* 9. *rec.* atque illa simplex juris præsumptio, quæ juxta magis benignam opinionem pro compensante, ut supra, admittur, ita suffocata remanebat à contraria probatione, vel fortiori præsumptione.

Atque hinc liquet, quod ista sit quæstio facti potiùs, quàm juris, decidenda, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, bonam, vel malam fidem redolentibus, quodque leguleica ineptia sit, illam tractare in abstracto, immorando, cum eo Legistarum labore, qui per aliarum scientiarum professores meritò improbus dicitur, in numerica majori, vel minori assistentia doctrinarum, & decisionum, non reflectendo ad dictas distinctiones omninò necessarias.

Donec autem cum præmissis, ac in solo puncto juris
24 disputatum fuit primus Judex magnam habebam difficultatem; Eo tamen mutato, coram successore, Marchio ad dictam difficultatem removendam, ex aliorum Scribentium consilio aliquos induxit testes ad probandum, quod ab initio conventionis de hoc actum esset, ut debitum ita in dies compensaretur, quodque id fuerit causa potissima conducendi potiùs istum artificem, quàm alterum, istaque probatio nimium verisimilis videbatur, atque ob hanc probationem prodiit sententia absolutoria, & sic magis ex facto, quàm ex jure.

ANNOT. AD DISC. XLVI.
ad L. inclusivè.

De articulo principali in his discursibus contento, quando nempè admittenda veniat compensatio cum se ipso in præjudicium creditorum, non habetur alibi actum, neque alia suppetit occasio disputandi; Et insinuantur aliqua *sub tit. de Regal. disc.* 26.

ROMANA PECUNIARIA SEU COMPENSATIONIS PRO SEBASTIANO ANTINORO CUM MARCHIONE PAULO DE BUBALO.

Casus disputatus in Camera, & resolutus pro Paulo.

De eadem materia compensationis cum se ipso, an intret in præjudicium creditoris anterioris, quando creditum, & debitum competunt, non solum ex diversa causa, sed etiam ex diverso jure, sive ex diversa persona, ob concursum plurium personarum formalium, in una materiali.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod ex usu mercatorum, vel suadente æquitate, intret compensatio cum seipso in præjudicium tertii.*
3 *Quod decisiones punctuales nimium attendatur, non*
4 *De pluralitate personarum formalium in una materiali.*
5 *Pro credito alieno non datur compensatio cum debito proprio, & è contra.*
6 *Quod non compensetur debitum proprium cum credito fideicommissi, vel majoratus ab eodem possessi.*
7 *De debito proprio non compensando cum credito hæreditario, & è contra.*
8 *Sive cum credito, vel debito sociali.*
9 *Ut id procedat pro solo jure, vel interesse tertii interessati in fideicommisso, vel societate.*
10 *An creditor habens in manibus pecuniam debitoris sub titulo depositi, teneatur eam cum seipso compensare.*
11 *Feudum, vel fideicommissum, seu hæreditas fingitur homo mutus, surdus, possessor autem, minister, & operarius.*
12 *De eadem conclusione, de qua n.* 6.
13 *Non datur comepnsatio re non integra.*
14 *Ex quibus excludatur voluntas compensandi cum seipso.*
15 16 17 *Quando obstet potestas id agendi &c.*

DISC. XLVII.

Marchio Paulus de Bubalo possessor illius primogenituræ, de qua habetur actum *sub tit. de fideic. disc.* 1
25. habens onus à testatore adjectum investiendi, ac multiplicandi medietatem fructuum, tam pro negotiis propriis, quam pro hoc multiplico, utebatur banco cujusdam privati campsoris, cum duplici tamen distinctio computo, uno scil. proprio, ac privato, qui vulgò inter negotiatores dicitur *computus currens*, & altero pro dicta primogenitura, seu multiplico, qui dicitur *computus separatus*, vulgò *conto à parte*; Cum autem dicto campsore defecto, Sebastianus hæres Scarlati creditoris hypothecarii cum obligatione camerali directè ageret contra d. Paulum tanquam debitorem debitoris pro ea summa, in qua nomine proprio in ejus computo currenti remanebat debitor campsoris; Excipiebat reus conventus de compensatione cum eo, in quo erat creditor in altero computo separato primogenituræ. Et introducta per Appellationem à Thesaurario causa in Camera coram Palutio sub die 30. Januarii 1653. pro compensatione ad favorem Pauli prodiit resolutio, neque causa, quod sciam, ulteriorem progressum habuit, ob subsequutam Sebastiani mortem.

Resolutionis unicum fundamentum fuit decisio Rotæ in Romana Pecuniaria 1. Maii 1643. coram Verospio, cu- 2
jus copia tunc data fuit hodie impress. *inter rec. dec.* 185. *p.* 9. insinuata *disc. præc.* in qua firmatur, quod ex mercatorum usu, seu æquitate, ubi aliàs consultum non remaneret, admittenda sit compensatio ipso jure, quamvis nulla oppositio, vel declaratio accedat; Atque stante deplorabili 3
abusu pragmatico, ac immorandi mordicus in doctrinis, præsertim verò, ubi agitur de decisionibus punctualibus, omnia, quæ ex hac parte deducebantur circa diversitatem casus, ac defectum applicationis, reputata fuerunt ratiocinia, & subtilitates Advocatorum.

Mihi ergo pro actore scribenti, tunc juniori, atque 4
circa professionis initia, reflectendo etiam ad solam veritatem resolutio non placuit ex defectu applicationis eorum, quæ firmantur in dicta decisione; Illa siquidem (ut ex ejus contextu patet) procedit in casu, de quo agitur *disc. præc.* quando scil. debitum, & creditum, proveniunt quidem ex diversa causa, sed pertinent ad eamdem personam, quæ materialiter, ac formaliter sit unica; Secus autem, ubi in eadem persona materiali intret reduplicatio diversarum personarum formalium pro diversitate jurium, seu respectuum, ut in præsenti concurrebat, quoniam ut advertitur *sub tit. de feud. disc.* 23. & 89. ac plures *sub tit. de fideic.* ac etiam *sub altero de camb. disc.* 1. & *seq.* & *hoc eod. tit. supra disc.* 36. & *seqq.* ac ferè in omni materia, possessor feudi, seu majoratus, vel primogenituræ, seu fideicommissi, ac etiam hæres beneficiatus, quamvis materialiter sit unus, & idem, ac etiam commodum utriusque patrimonii, privati scil. indifferentis, & feudalis, vel fideicommissarii, seu hæreditarii, sit quoque proprium, adeòut in sensu naturali, ac de facto sit una eademque persona; Nihilominus, ex dispositione, seu ratione juris, pro effectuum diversitate, reputatur diversus homo, cum verificatione incompatibilis concursus actionis, ac passionis in eodem subjecto, dum idem potest esse sui ipsius debitor, & creditor, emptor, & venditor, mandans, & mandatarius &c.

Consequenter, quemadmodum ex debito alieno ad creditum proprium, vel è conversò, juris regula est, com- 5
pensationem non admitti ad text. *in l. in rem suam ff. de compens. l. ejus C. eod. utrobiq; scriben.* de quibus Medic. *de compens. p.* 1. *q.* 1. *n.* 1. Giurb. *ad consuet. c.* 9. *gl.* 9. *n.* 8. *cum seq.* Rot. apud Greg. *dec.* 336. *n.* 2. apud Merl. *dec.* 783. *n.* 3. & *frequent.* Ita dicendum est ubi quamvis creditum, & debitum sit ejusdem personæ materialis, attamen formaliter est duplex, ac diversa; Ut in termini punctualibus debiti proprii non compensabilis, cum credito majoratus ab eodem possessi, firmant Valenz. *cons.* 157. *n.* 78. *cum seq.* Font. *dec.* 465. *n.* 21. *in fin.* plenè Salg. *in labyr. p.* 2. *c.* 7. *n.* 51. & *c.* 22. *n.* 97. *cum seq.*

Et generaliter de debito proprio non compensando cum credito hæreditario, vel è contra (ubi tamen agatur de hæ- 6
rede cum beneficio inventarii) cæteris relatis Graff. *de except. c.* 16. *n.* 54. Grat. *discept.* 948. *n.* 2. Gait. *de cred. c.* 4. *quæst.* 4. *n.* 359. Altogr. *cons.* 56. *n.* 29. & *seq. l.* 1. & *infra disc.* 63. Et de debito proprio non compensabili cum credito sociali; Sive de illo unius negotii, vel patrimonii cum altero diversi negotii seu patrimonii, & è contra, quamvis utrumque ab eodem homine exerceatur Castr. *cons.* 285. *n.* 3. *lib.* 1. Magon. *dec. Lucen.* 1. *per tot. concor.* apud Grat. *ubi supra*

Add. ad Greg. *d.dec.* 366. Salg. *p.1.c.9.n.* 64. & latius *p.3.c.* 6. *§.unico n.*14. *cum seqq.* Rot. *dec.*592. *n.*16. & *dec.*612. *n.* 10. *p.5.rec.dec.*47. *nu.*11. post Merl. *de pign. cum aliis infra disc.* 62. & conferunt, quæ habentur supra de diversitate patrimoniorum, seu negotiorum, ac potioritate super patrimonio unius, vel negotio quamvis posteriorum, vel chirographariorum adversus anteriores, vel hypothecarios diversi patrimonii, vel negotii, tanquam per speciem separationis bonorum, ob cujus beneficium (ex pluries insinuatis) creditores defuncti, vincunt creditores hæredis, quantumvis anteriores, ac privilegiatos cum similibus.

Non negabantur hæc per scribentes pro Reo convento,
9 utpotè de jure vera sed dicebant ea procedere, quando accederet interesse, vel mixtura tertii, cum tunc rectè impediatur dicta compensatio, seu confusio; Secus autem ubi, cessante dicta mixtura, utriusque negotii, vel stationis commodum, vel incommodum sit ejusdem, quoniam tunc, licèt de juris stricta censura, fingatur dicta diversitas, attamen quandò ratione impediendi cursum usurarum, vel ratione æquitatis ob cessantem reintegrationem, admittitur compensatio ipso jure, juxta firmata *d.dec.*183. & 409. *p.9.rec.cum aliis insinuatis disc. præc.* tunc ista intellectualis distinctio non attenditur.

Ad quod probandum deducebant firmata per Rot. in Ro-
10 mana computorum 25. Martii 1618. cor. Cocc. cum qua, post præsentem disputationem, processum fuit, in Romana cambiorum, de qua *sub tit. de camb. disc.* 2. quod scil. si campsor qui fecit cedulam banchariam cum consueta facultate ponendi sub cambiis principalem, cum quo in vim cedulæ aliquam summam solvere cogitur, habeat in ejus banco ejusdem principalis pecuniam depositam in computo separato, atque ut vulgò dicitur, *à conto corrente*, adeò ut reputetur negotium omninò diversum, cum tunc ea pecunia dicatur stare potiùs jure depositi juxta ea quæ habentur *sup.disc.* 25. Attamen ex quadam æquitate, quæ urgere videtur contra volentem exigere usuras, dum naturaliter, ac de facto habet æquivalentiam debitoris in manibus ad ejus liberum usum, liberamque dispositionem firmatur intrare debere compensationem ipso jure; Atque hunc dicebant esse casum, quoniam si non intrabat ratio impediendi cursum usurarum, intrabat tamen altera ratio æquitatis, quod scil. aliàs, denegata compensatione; consultum non remaneret ob deficientiam debitoris, juxta firmata *d. dec* 183.

Verum advertebam, quod admissa etiam dicta distinctione, adhuc fallacia adesse videbatur in applicatione;
11 quoniam in hæreditate adita cum beneficio inventarii, sive in majoratu, vel fideicommisso, ex rationis identitate, rectè intrat assumptum feudistarum, de quo in sua materia *sub tit. de feud.* quod scil. feudum dicitur homo surdus, & mutus, aliaque membra impedita habens, qui operatur, ac audit, loquitur, & agit per organum feudatarii, tamquam ejus ministri, seu administrationis; Et cujus jure considerandum quoque esse hæredem beneficiatum, adeòut hæreditas consideretur persona, seu corpus stans de per se, habetur *sup. disc.* 36. Et consequenter adest mixtura juris tertii cum omnimoda diversitate personarum, quoniam persona hæreditatis, vel fideicommissi, seu majoratus, utpotè vivens sub administratione assimilatur pupillo viventi sub tutore, vel Ecclesiæ viventi sub Prælato, ideòque est diversa ab altera persona possessoris, qui in hoc consideratur, tanquam administrator, ac propterea, quemadmodum creditum pupilli compensabile non est cum debito tutoris, & è contra sic à pari.

Undè propterea considerabam, quod si rerum eventus
12 fuisset in oppositum, ut scil. non defecisset campsor, sed obiisset ipse Marchio Paulus non solvendo, debitor campsoris in computo privato currenti, successor autem primogenituræ peteret à campsore summam, in qua ipsa primogenitura in ejus computo separato creditrix erat ex causa depositi remanentis ad effectum investiendi, & multiplicandi, non potuisset ipse campsor hujusmodi compensationem allegare, ut in specie advertitur per Valenz. Salgad. & alios ubi supra, ita in præsenti casu converso, cum eadem sit in omnibus ratio.

Quamvis enim per Scribentes in contrarium responderetur (atque responsio plausum habuerit) quod id inductum
13 fuit in gratiam, ac favorem primogenituræ, vel successoris in ea, quasi quod campsor allegaret compensationem re non integra, postquam gravatus jam per mortem annichilatus est, summque jus, quod in fideicommisso, vel in primogenitura habet, est omninò resolutum; Attamen verè ista erat omninò insulsa responsio discursu indigna, quoniam debitor & creditor sunt correlativi, neque judicium efformandum est ab eventualitate, ideòque illa omni penitus juridico fundamento destituta videbatur.

Unica difficultas, quæ desuper cadere videbatur, consistebat in eo quod pecunia proveniens ex dicta medietate 14
fructuum posita ad creditum primogenituræ in computo separato ad effectum investiendi, non habebat vinculum præcisum investimenti, adeòut neque ipse Paulus primogenituræ possessor, qui deposuerat, posset eam liberè levare, seu ei liberè solvi posset, juxta ea, quæ in his terminis fructuum locorum montium destinatorum pro multiplico, plenè habentur *sub tit. de Regal. disc.* 23. sed cantabat ad dispositionem ejus Marchionis, cui liberè solvi potuisset, absque necessitate habendi solicitudinem de investimento, cum difficultas cadat, quando depositum habet annexum dictum vinculum; Et consequenter cum compensatio dicatur ficta solutio, ejusque speciem habeat, quemadmodum potuit liberè solvi, ita potuit compensari, quamvis hoc ratiocinium per Scribentes in contrarium non deduceretur, utpotè contentos dicta punctuali decisione, qua concurrente aliud curari non solet.

Pro hujusmodi difficultate solvenda, (quando excitata fuisset) reflectebam ad ea quæ habentur *disc. præc.* quod 15
scil. ad hujusmodi compensationem inducendam requiruntur copulativè, potestas, & voluntas, quodque dicta consideratio, an creditum primogenituræ contineret præcisum vinculum investimenti, vel potius esset quoad liberam dispositionem possessoris, percuteret primam partem potestatis, ut volentibus campsore, & ipso Marchione facere compensationem, seu contrapositionem partitarum id rectè fieri potuisset, atque non intrarent difficultates, de quibus *d.disc.* 23. *de Regal.* non tamen exinde inferri poterat ad voluntatem, quoniam licèt ista ex magis benigna opinione, quam sequuta est Rota *in d. dec.* 183. & 409. *p.* 9. *rec.* & apud Otthob. *dec.* 55. & in aliis, præsumatur quando ita exigat æquitas impediendi cursum usurarum, vel damni irreparabilis; Attamen ut advertitur *disc.præc.* ista dicitur simplex præsumptio, quæ per contrariam probationem, nedum expressam, sed etiam præsumptam efficaciorem tollitur, ubi scil. ex ipsismet libris, & partitis 16
campsoris excluditur animus compensandi, quia nempè continuetur in diversitate computorum, atque negligatur illa compensatio, seu imaginaria solutio, quæ inter mercatores ex eorum usu ponderatio *d.dec.* 183. *p.9.rec.* habet vim solutionis veræ, mediante scil. contrapositione partitarum è conspectu, seu ut dicitur *di contro*, qua contrapositione concurrente, vel ad summum, quamvis ea deficiente, non concurrente alio actu positivo in contrarium, dicta æquitas tolerabilis est, secus autem ubi equivalentes concurrunt, actus negativus non faciendi contrapositiones, & actus positivos continuandi computorum diversitatem, atque retinendi (ut vulgò dicitur inter negotiatores) partitas debiti, & crediti vivas seu accensas.

Clarius verò in hac facti specie, quod completo uno anno, in cujus fine fit bilancium, seu peræquatio, atque 17
residuales summæ debiti, vel crediti respectivè à libris veteribus transportantur in libros novos anni novi, ut advertitur *infra disc.* 68. quamvis in computo privato, seu currenti d. Marchio remaneret debitor, & è conversò creditor in computo separato primogenituræ, non tamen facta fuit compensatio, seu contrapositio, sed in novis libris, seu partitis anni novi, ipse Marchio in computo proprio creatus fuit debitor, & in alio computo primogenituræ creatus creditor in summis residualibus respectivè debiti, & crediti, & consequenter clarè remanebat probatus animus non compensandi, quodque ubi adesset potestas, non tamen aderat voluntas, quæ copulativè requiritur, tempore habili explicata, non tamen tempore inhabili post detectam debitoris decoctionem.

MACERATEN. CENSUS PRO LUCRETIA DE UNGIS CUM CRESCIMBENIS

Casus disputatus coram Thesaurario, credo resolutus pro Lucretia.

De eadem materia compensationis non faciendæ cum se ipso in præjudicium creditoris, postquam debitoris deco-

decoctio supervenit; Et potissimè ubi creditum cum quo allegatur compensatio, non sit purum quantitatis; sed proveniat ex causa census.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De conclusione, an debitor possit compensare cum seipso in præjudicium creditorum.*
3 *Cessio non potest reportari per debitorem, ideoque resolvitur in quietantiam.*
4 *Quod magis expediat se tueri cum solutione, & extinctione, quam cum compensatione.*
5 *Quæstio compensationis procedit cum præsupposito bonæ fidei, & non aliàs.*
6 *Compensatio est ficta solutio, ideòque non potest plus operari quàm vera.*
7 *Solutio non potest fieri creditori decocto, & facta non liberat.*
8 *Pecunia soluta per decoctum, vel decocturum est semper avocabilis.*
9 *Idem de pecunia soluta per hæredem, vel administratorem hæreditatis debitoris.*
10 *De differentia inter cessionem, quæ per Cameram fiat, ubi agatur de lucro, vel damno.*
11 *Creditores non possunt in aliorum præjudicium remittere, sed bona fide concordare.*
12 *Compensatio non intrat in sorte ex causa census, & de ratione in creditore.*
13 *De eodem etiam in debitore.*
14 *Quando debitor ob interesse tertii non possit liberè redimere censum.*

DISC. XLVIII.

MOrtuo Alexandro aliàs divite in statu latitationis, ac sequestri omnium bonorum, facti per Cameram
1 creditricem in notabili summa pro Thesauraria Marchiæ, Crescimbeni ejusdem Alexandri debitores ex causa cujusdam census Cameralibus ignoti, suppressis nominibus per N. & N. ut in occultis, ac ignotis fieri solet, se componere curarunt pro modica summa vix ad debiti medietatem ascendente, reportata cessione jurium talium qualium, juxta formulam in spoliis clericorum, vel fructibus beneficiorum, aliorumque ignotorum jurium Cameralium ser-
2 vari solitam; Habita verò hujus debiti notitia per Lucretiam Alexandri nurum, & creditricem anteriorem ex causa dotis, dictos Crescimbenos pulsavit tanquam debitores debitoris; Cumque ipsi exciperent de extinctione debiti mediante compensatione facta cum se ipsis, ita effectis debitoribus, atque assumpta desuper disputatione cor. Thesaurario; Per causæ Patronos, hinc indè assumpta fuit quæstio, de qua *duobus disc. prox. præced.* an scilicèt debitor, cui supervenit creditum, possit compensare cum seipso in præjudicium creditorum anteriorum, faciendo hinc indè magnum emulum allegationum trascriptarum ex Giurb. *observ.* 106. & Add. ad Franch. *dec.* 53. Capyc. Latr. *dec.*25. & *ex supra insinuatis dec. Rotæ* 183. & 409. *p.9.rec.* & *apud* Otthob. *dec.* 55. *repetit. dec.*107. *post* Merl. *de pign. in quibus de materia.*

Assumptus autem ex parte Lucretiæ actricis ad scribendum in jure super hoc articulo; Dicebam, hujusmodi quæstionem extraneam videri à casu controversiæ, quoniam cum Camera non contenta sequestro bonorum Alexandri, ex decreto Thesaurarii, & chyrographo Pontificio, vivente etiam debitore, ac etiam continuando post mortem, assumpsisset jus exigendi nomina debitorum sui debitoris, etiam cum facultate quietandi, adeòut ipsius Alexandri personam ad hunc effectum in omnibus repræsentaret, hinc proindè, potiùs intrare videbantur termini liberationis, & quietantiæ, mediante solutione in parte, ac remissione in alia parte, ob incompatibilitatem, ut debitor solvendo creditori proprium debitum, ab eo reportare cessionem translativam, undè propterea si cessio de facto reportetur, illa resolvitur in quietantiam, quamvis solutio fieret à tertio ex pretio bonorum debitoris, nisi ex pacto adjecto ab initio in gratiam ipsius tertii, pro casu evictionis, vel molestiarum, verificabilis remaneat terminus cessionis, translativæ ex deductis *apud* Gregor. & Adden. *dec.* 68.
3 & 75. Buratt. & Add. *dec.* 420. Franch. *dec.* 55. & est conclusio frequenter *hoc eod. tit. in præcedentibus, ac sequentib.* insinuata; Ideòque in hac facti specie non adesset mixtura tertii, cujus respectu incompatibilitas salvari potest, ita videbatur, quod actus redoleret magis extinctionem debiti per solutionem, ac remissionem.

Hinc proindè, (ut frequenter contingit) manifesta ineptia videbatur illa scribentium pro reis conventis, in assumendo dictam quæstionem compensationis, quæ præsupponit compatibilem præexistentiam, ac durationem debiti, & crediti ex diversis causis, dum ita magis expedie- 4
bat se tueri cum terminis extinctionis mediante solutione ad regulam *text. in l. nomen Cod. quæ res pign. obl. poss.* ut scilicet facta solutione, debitor consequatur liberationem, atque hypothecæ super eo contractæ resolvantur; cum semper magis proficuum sit actus verus, quàm fictus, & sic potius solutio, quàm compensatio; Rectè siquidem intrat argumentum à compensatione ad solutionem; quod scilicèt potest compensari ergo etiam solvi, non autem è converso, potest solvi, ergo compensari, quoniam ut in præcedentibus, ac in sequentibus pluries advertitur, multi dantur casus in jure, in quibus vera solutio liberat debitorem, quem tamen non liberat ficta, sivè intellectualis.

Verum scribendo super quæstione jam assumpta (etiam in sensu veritatis) dicebam, compensationem in hac facti specie nullatenus prætendi posse, ideoque de plano intrare opinionem, de qua *apud* Franch. *dec.* 53. & *seq. duobus disc. præced. insinuatos*, ex duplici fundamento; Primò scilicèt ex illo malæ fidei, & secundò ex altero quod ageretur de debito ex causa census, in quo non intret illa compensatio ipso jure, sive per solam declarationem animi debitoris compensare volentis, sicuti intrat in puro, ac liquido debito quantitatis, potissimè in hac facti specie ob aliquas particulares circumstantias ut infrà.

Quatenus enim pertinet ad primum, observabam quod licet in ista moderna quæstione, opinionum diversitas habeatur dictis *præced. disc.* insinuata; Attamen ea procedit cum præsupposito bonæ fidei, ac integritatis creditoris ef- 5
fecti debitoris, adeòut illi solvi potuisset cum effectu extinctivo proprii debiti, ac etiam ab eodem recipi potuisset perfectè, ac irretractabiliter solutio proprii crediti, absque eo quod intraret avocatio pecuniæ consumptæ, vel confusæ, juxta *dec.* 190. Affl. *cum aliis*, de quibus *infra pluries ad materiam avocationis.*

Ut enim in præcedentibus advertitur, aliud non est compensatio, nisi complicatio duplicis solutionis respectivè, ad instar illius complicationis plurium actuum, quæ habetur 6
in novatione, seu formali delegatione, quod scilicèt fingitur quod debitor, qui sui creditoris creditor effectus est illi solverit proprium debitum, ita mediante solutione extinctum, deindeque unico contextu, dimissus creditor, eidem debitori tanquam creditori ex diversa causa, eandem pecuniam solverit in extinctionem sui debiti, ita & taliter, quod ab isto secundo creditore ita dimisso, non possent creditores anteriores avocare pecuniam per hunc secundum occultum actum solutam; Ubi etenim, vel uterque actus expressus solutionis, ac respectivè receptionis, vel saltem eorum alter, ad id non suffragaretur, tunc extra controversiam est, ut neque suffragari possit compensatio, ut admittitur *apud* Capyc. Latr. *dicta dec.* 25. ubi declaratur, quod isto casu recipienda est *dicta dec.* 53. *Franchi*, atque cum hoc sensu procedunt omnes sequaces hujus opinionis compensationis favorabilis, ex irrefragabili ratione, quod plus operari non potest fictio, quàm veritas.

Nil etenim referret, quod solutio compensare volentis (ubi vera fuisset) illi suffragaretur, eumque liberaret, si ex facti qualitate, pecunia quam postea dimissus creditor eidem dimittenti solvit in causam proprii debiti, esset ab eo per anteriores avocabilis, multò magis, ubi copulativè concurrit uterque defectus, tam circa solutionem, 7
quæ decocto debitori ob legis inhibitionem fieri non potest, undè propterea non intrat dispositio *text. in d. l. nomen*, *C. quæ res pign. obl. poss.*

Vel intret avocabilitas pecuniæ solutæ per decoctum, vel decocturum juxta *dec.* 170. Seraph. *n.*4. & *dec.*338. *Pe-* 8
niæ cum aliis collectis per Adden. *ad dec.*9. *n.*45. & *seq. p.* 9. *rec.* & *in aliis hoc cod. tit.*

Clarius verò in hac facti specie, quod mala fides recipientis solutionem, ac propterea subjecti avocationis, non solùm resultabat à malo statu, & decoctione debitoris, sed etiam ab 9
ejus more, adeòut quamvis ipse vivens esset idoneus, attamen eo defuncto creditores solutionem recipientes ab hæredes præsertim beneficiato, exempti non sunt ab avocatione, eisque non suffragatur illa æquitas, ob quam ratione commercii posita bona fide denegatur avocatio, ut advertitur *infra disc.*53. & 54. ubi de differentia solutionis factæ ab ipso debitore vivente, & de facta per hæredem.